

TABULA CHRONLOGICA  
Monarchiae Sinicae

JUXT CYCLOS ANNORUM LX.

Ab anno ante Christum 2952. ad annum post Christum 1683.

Auctore R. P. PHILIPPO COUPLET Belgâ, Soc. Jesu,  
Sinensis Missionis in Urbem Procuratore.

Nunc primùm in lucem prodit  
È BIBLIOTHECA REGIA.

PARISIIS,

M. DC. LXXXVI.  
CUM PRIVILEGIO REGIS.

## PARAGRAPHUS I.

Unde sumat exordium Sinica Chronologia.

*Qui Annales Sinarum conscripserunt, omnes ferè ab eo, qui Imperii Conditor fuit, Fohi dictus, ordiuntur. Hic autem coepit imperare anno ante Christum 2952. Quae verò nonnulli Historicorum commemorant ante dicta Fo hi Regis tempora contigisse, pleraque ut apocrypha nulliusque fidei, ab ipsis quoque Sinicis Interpretibus & gravioribus Historicis rejiciuntur. Certe Tai Su Cum primae auctoritatis Scriptor disertis verbis testatur, ea quae ante Xinum secundi Conditoris tempora acciderunt, ab se ignorari. Auctor quoque magnorum Annalium, qui centum quinquaginta ferè voluminibus constant, tametsi ea referat quae ante Fo hi tempora contigerunt, nolle tamen his à quopiam fidem adhiberi, satis innuit cùm dicit, se quidem non credere omnibus, quae non alio quàm famae popularis ejusque variae testimonio de remotissimis illis temporibus ad posteriorum aures pervenerunt; credere autem se libris Kim utique authenticis, adeoque non esse sibi dubium quin ordiri debeant historiam ab ipso Fo hi Conditore Scriptores omnes. Nec immeritò, cùm pleraque eorum quae [iv] ante Fo hi memorantur accidisse, primâ statim specie fabulosum quid prodant. Memorant enim quòd Caelum horam noctis undecimam inter & duodecimam conditum fuerit; Terra verò horam noctis primam inter & secundam. Quòd primus Homo conditus sit inter tertiam & quartam matutinam; Faemina pòst meridiem tertiam inter & quartam. Item primum illum Hominem (quem Puon cu nominant, & sepultum dicunt in urbe Yam cheu provinciae Nan kim, aut, ut alii, in provincia Pe kim in territorio ubis Ho kien) ex sterili terra prognatum, & admirabili rerum scientiâ fuisse intractum, dominatumque omnibus; originem tamen illius ignorari. Narrant denique tres Imperatores extitisse, primam caeli, secundum terrae, tertium hominum; & horum quidem fratres alios aliis successisse per annos ampliùs 49000, pòst quos aliae rursus 35. familiae perpetua serie per aliquot annorum millia imperarint. Quae omnia tametsi etiam Sinae, ut dixi, respuant uti falsa, negare tamen non possumus Europaeo homini studiosiùs singula consideranti, nescio quid rursus priscae veritatis inter fabulas istas, ceu densas inter tenebras, pauxillum tenuissimae lucis intermicare: quod eo fidentiùs affirmo, quòd omnes ferè fabulae ortum suum habeant ex eo quod fabulosum non est. Certè mihi prorsus credibile est à Noëmi nepotibus accepisse aliqua de prima rerum creatione, & quàm vivaces ac longaevi essent primae aetatis homines: quae cùm deinde ad filios & nepotes quasi per manum tradita pervenirent, utique pronum erat paulatim ceu deteri priscam illam veritatem, vel etiam mendaciorum & fabularum accessione*

vitari. Et verò quòd creationem caeli & terrae, maris ac faeminae, determinatis temporibus assignent, jam satis clare fatentur non existisse Mundum ab aeterno, ut plerique Philosophorum & ipse Aristoteles olim [v] docuerunt: adeoque facile est ratiocinando hîc conficere Numen aliquod supremum Sinenses cognovisse, à quo haec omnia tam certis temporum intervallis procreata sint. Ad haec non ignaros fuisse longaevae aetatis primorum hominum, hinc licet intelligere, quòd aliis majorum suorum octo aut decem tribuant annorum millia, & supra decem millia aliis. Cùmque Sinici Interpretes centum pro mille numerandos esse, aut (ut alii) Lunâres menses pro annis solaribus computandos dicant, non equidem in omnibus à vero longe aberrasse dici possunt. Adde quod tertius Sinarum Imperator, cui Hoam ti nomen fuit, & imperare coepit anno pòst Fo hi 256. librum illum, quem de pulsibus & de medendi arte conscribi jussit (fuit enim artis quoque medicae Princeps ac Magister) sic ordiatur, ut hanc ante omnia quaestionem instituat: Cur cùm prisci homines tam vivaces & longaevi extiterint, tam brevis tamen sit vita hominum aetatis suae. Constat denique ex vetustioribus Sinarum libris, virum fuisse sapientiae famâ, & imperante secundâ Xam familiâ, gesto magistratu clarum, Lao pum vulgò nominatum, cujus & Confucius meminit, qui annos omnino septingentos vixisse perhibetur.

Ad universale Diluvium quod attinet, nihil adhuc quidem certi vel explorati in Sinarum libris ac monumentis inveni: tamen hujus quoque notitiam quamvis rudem perturbatamque habuisse, fortassis erit qui probet ex iis libris qui inscribuntur Sim li Ta ciuen; qui quidem libri editi sunt trecentis circiter abhinc annis, regnante Mim familia, qando jussu tertii Imperatoris (qui coepit imperare anno Christi 1402) coatus fuit litteratorum aliquot coetus, quorum opera ii quos dixi libri conflati sunt; verùm uti pleni figmentis ipsorum, ita mendaciis quoque erroribusque pleni: quod haudquaquam [vi] mirandum, cùm non pauci eorum priscae veritatis vitiatores fuerint potiùs quàm commentatores. Caeterùm quia ad id, quod agebamus, adstruendum, suam qualemcumque auctoritatem habere potest, verbo referam quid isthic de Mundo & Cataclysmo dicatur. Primò totum hoc Universum merâ aquâ (quam & Auctor quidam supra ipsos Caelos constituit) constituisse, quae assiduo motu tandem ipsam Terram confecerit crassiori materiâ paulatim ad centrum subsidente: montes quoque ex vehementiori earumdem aquarum agitatione & fluxu refluxuque sparsim exortos; hos quidem coopertos aquis fuisse aliquando, convinci putant ex conchis marinis, quae, unde tandem advectae fuerint ad montium cacumina, ubi tamen passim reperiuntur, nisi dicantur montes sub aquis aliquando latuisse.

Sed esto vim nullam habeat hoc, quo nituntur, argumentum; huic certe quod subjungo ad probandam interruptionem generis humani per Diluvium universale, vis sua quorumdam judicio fortassis inerit. Narrant, ante Regem Fo hi complures extitisse Reges, familiasque regias, viros item insignes, quorum alii distinxerint anni tempora, alii caelestes motus observarint, Kalendarii & Cycli sexagenarii, aliarumque artium

*auctores extiterint: Cùmque primis illis temporibus mortales in silvis ac montibus ritu ferarum viverent, herbis & ferino sanguine vescerentur, concubitus essent promiscui, aliaque huiusmodi, viros extitisse prudentiâ ac ingenii sagacitate insignes, à quibus domita fuerit agrestis illa barbaries, sic ut vagi ferique homines paulatim formati ad humanitatem jam suis quoque legibus in officio continerentur. Porro cùm Historiographi prope omnes denuò à Regibus Fo hi & Xin num historiam suam veluti certam & indubitatam ordiuntur; memorant iis quae modò memoravi quàm [vii] simillima iisdemque ferè verbis de illa aetate quâ duo dicti Reges vixerunt: atque eandem forte ob causam, quando titius Monarchiae summarium annorum computum conficiunt, huic vix unquam inserunt annos illos, qui ante Fo hi tempora numerantur; quâ re non obscure declarant, aut fidem iis derogatam velle, aut si qui omnino non derogent, quasi interitum quemdam ortumque gentis hîc extitisse, adeoque & interruptionem generis humani. Illa autem interruptio quid aliud fuerit quàm universale Diluvium, cujus cùm octo dumtaxat homines testes extiterint, quàm pronum erat alios nepotum & abnepotum oblitos quae ab avis narrabantur, alios nec fidem narrantibus dedisse, atque adeo nihil praeter spissas altasque tenebras, sed tamen non sine illa, quam modò eliciimus, lucis ac veritatis scintilla, ad posteros pervenisse.*

*Caeterùm quia nonnulli Sinensium in hoc errore sunt, quòd putent eos Reges familiasque revera extitisse, neque ullis tamen aquarum eluvionibus periisse genus humanum, facillimè nos & unica tantùm ratiocinatione errorem tollimus, & cogimus eos aut admittere commune totius Orbis Diluvium, aut fateri fabulosa prosus esse quae de priscis illis temporibus traduntur. Etenim cùm à Fo hi ad hunc usque annum 1683 quo haec scribimus, per annos quater mille dumtaxat sexcentos & triginta, tot millionibus hominum propagatum in China fuerit humanum genus; quanto majori numero necesse est propagatum fuisse maximo illo ante dictum Regem temporum spatio, quo supra quadraginta annorum millia effluxisse affirmant. Item si ab eodem Rege ad hanc usque aetatem tot artes inventae fuerint, tam brevis temporis spatio, si cum altero comparetur, qui fieri potuit, ut non tantùm eadem, sed longè plures per immensa tot saeculorum spatia mortales excogitarint? & tamen, nisi mendaces esse fateamur [viii] in ipso statim exordio Sinicos annales, temporibus Fo hi Conditoris & summa fuit mortalium ruditatis, & ipsi quoque mortales perquam rari. Unde autem manaverit quorundam error, qui existimarunt in Sinicis annalibus de communi Orbis Diluvio mentionem fieri, planè jam liquet: nam temporibus Yao quinti, aut, si à Fo hi numeraveris, septimi Imperatoris, (coepit hic imperare anno ante Christum 2357) imperii ipsius anno 61 Cycli septimi 41. Memorantur ingentes aquarum eluviones extitisse, quae plurimas terras per annos omnino novem longè latèque inundarint. Cùm itaque dictum Diluvium à sexcentesimo Noëmi anno quàm proximè abfuerit, siquidem Vulgatae computum sequamur, utique pronum erat Europaeum hominem, tum praesertim cùm necdum tota annalium ratio perspecta esset, in errorem huiusmodi*

*incidere. Sed haec hactenus.*

*Caeterùm quòd historia Sinica, ut ab ipso Fo hi gentis Conditore sumit exordium, digna sit cui fides detur, argumento esse possunt, primò quidem quod hodieque apud Sinas est primae auctoritatis, monumentum illud litteris (si tamen litteris, & non lineolis potiùs) exaratum, quod Ye Kim dicitur, & ipsi Fo hi à tota posteritate nullo refragante tribuitur, quas quidem lineolas seu figuras 64. (quarum singulae sex lineolis constant partim integris partim interruptis) commentatus fuit 1800. fere pòst annis Rex Ven vam, & hujs filius Cheu cum, & sexcentis fere pòst annis ipse Confucius. Item Herbariolum Xin num secundi gentis Sinicae Conditoris. Libri item primi Monarchiae Conditoris & una Imperatoris Hoam ti de pulsibus, & arte medendi, cuius operis adjutores necnon scriptores fuerunt Lui cum, Ki pe & Souen tres nobilissimi Medici, quorum libri tot ubique Interpretum commentariis ad haec usque tempora [ix] leguntur illustrati. Accedit quod & ab ipso Principe Philosophorum Confucio in Commentariis in librum Ye Kim, necnon in libris Officiorum, horum trium expressa mentio habeatur.*

*Secundò nomina locorum ubi nati sint, & quibus nati parentibus primi illi Imperii Fundatores; ubi aulam constituerint, ubi sepulti. Quid? Quod praecipui eorundem Administri suis quique nominibus produntur posteritati; qui item, quarum artium rerumque inventores extiterint, litterarum imprimis: harum etenim prima rudimenta ipsum Fo hi dedisse narrant, (nam litterarum loco nodis antea utebantur) quas litteras exinde consecuti Reges aliis atque aliis litterarum earundem figuris, quas in Sina illustrata descriptas habes, expresserunt & exornarunt. Hoam ti porro usum fuisse ad eam rem perficiendam operâ çam kie, cuius & natale solum, oppidum scilicet Cham ngan in provincia Xen si, & is ubi sepltus est locus, memoriae produntur; cui proinde & institutio, & litterarum ordinatio & compositio quaedam ab omnibus tribuitur. Musices verò, adeoque musicorum instrumentorum ipsum quoque Fo hi; aratri autem, aliorumque quae ad agros colendos spectant, inventorem fuisse docent Xin num primum ipsius Fo hi successorem, & qui hunc secutus fuit Hoam ti Monarchiae conditorem, maximis encomiis prosequantur, quòd inventor extiterit tot rerum artiumque, quas in Tabula Chronologica obiter enumeramus. Et verò si posteriorum temporum Imperatores aut Sapientes, earum quas dixi rerum invenissent aliquam, num credibile est, quod illorum temporum Scriptores, qui minutissima quaeque tam studiosè prosecuti sunt, sua laude eos fraudavissent? At ignorabant, inquires, posterì rerum artiumque istarum inventores; cùmque non invenirent quibus potissimum attribuerent, [x] idcirco laudem hanc ex pia magis conjectura, quam scientia Fundatoribus attribuere: esto, ignorarint; esto, laudem forte non debitam tribuerint: at hoc certe non ignorabant, laudem eiusmodi non aliis quam qui aliquando extitissent, tribui posse. Denique argumentum illud, in quo plurimum video inesse roboris ad opinionem hanc adstruendam, peti debet potissimum ex eâ, quam inseruimus Tabulae huic nostrae Chronologicae, & quae à Sinis accuratissimè textitur, Genealogiâ trium Regum Yu, Tam,*

& Vu vam; qui quidem Reges Conditores & Principes fuerunt trium praecipuarum familiarum, petitis ab ipso inde Hoam ti nobilissimae stirpis suae principiis per annos bis mille 457. & 86. Imperii successores.

Erit fortè qui contendat, omnino non extitisse tres illos, quos historiae commemorant Imperii Fundatores, scilicet Fo hi, Xin num, Hoam ti, propterea quod actis eorum inserantur quaedam plane falsa & fabulosa. Exempli gratiâ, quod mater Fo hi dicta Hoa si, dum forte premeretgigantis vestigium, & lucidâ iride cingeretur, eum conceperit; quod huic deinde caput humanâ quidem forma fuerit, sed corpus serpentinâ: quod Regi Xin num caput item fuerit bovinâ specie; quòd is uno eodemque die duodecim herbarum venenatarum genera repererit, totidemque singularum antidota: quod dum agriculturam instituire meditaretur, Caelum pluerit triticum & orizam, quae humo deinde mandarentur: quod mater Hoam ti dicta Fu pao faetum ediderit quatuor & viginti pòst mensibus quàm conceperit; quod cùm dictus Imperator octoginta & unum fratres rebelles debellare non valeret, submissa è Caelo virgo eos commisso praelio extinxerit; & alia huiusmodi. Sed enim quamvis haec meritò censeantur fabulosa, non ausim tamen ob eam causam fidem omnem derogare Sinicae antiquitati, [xi] asserendo huiusmodi homines numquam extitisse. Quis enim neget extitisse quondam Saturnum, Janum, Jovem, Herculem, Bacchum, Orpheum, Romulum, & c. Tametsi res plurimas quae nunquam extiterunt, eisdem non tatùm Poëtae affinxerint, sed Historiographi quoque gravissimi tribuerint?

Adde quod ea ipsi quoque Sinenses, alii ne commemorent quidem, alii vel rejiciant ut apocrypha, & à reliquo quod sincerum est secernant. Unde Nan hien auctor meritò dicit, multa ex iis quae referuntur ante tempora Yao & Xun accidisse, esse pu kim, hoc est, non authentica; vel certè usitato prisci temporis stylo figuris quibusdam hieroglyphicis depicta, & posteritati proposita fuisse contendunt: exempli gratiâ, primum Conditorum Fo hi serpenti comparatum propter prudentiam, callidumque viri ingenium, fortassis & propter cutem corporis, quae maculosa fuisse scribitur: successoris verò Xin num industriam in agricultura, & mittenedis sub jugum bobus commendatam. Quòd si nequaquam videatur tantum fidei atque auctoritatis tribui posse Sinicae antiquitati, age, tollantur sanè, uti à quibusdam tolluntur; duo illi gentis Atavi primique Conditores Fo hi & Xin num; certè quidem Imperatorem Hoam ti quis extitisse neget? Quis ab hoc Monarchiam Sinicam non ordiatur securus, cùm praesertim, ut paulò ante dixi, eius stirpis series per tot saecula tam accuratè tantaque cum fide recenseatur, ut infrà videre est in serie genealogica trium familiarum principum, cùm libri item eius dem medici aliaque monumenta à tota posteritate unanimi consensu eidem attribuantur?

[xii] PARAGRAPHUS II.

Quâ regulâ temporum, & quo annorum numero, velut aureo, utantur Sinenses.

*Ut autem Chronologiam Sinicam texamus quàm possumus certissimam, secundum Cyclum seu periodum annorum sexaginta, qui unica sunt gentis regula, procedendum est. Illam igitur ab ipso Hoam ti, sive ab anno ante Christum 2697. auspicamur, quando & hic Cyclum illum perfecit: nam tametsi ante Yao tempora Historiographi quoque annos omnes Imperii praecedentium sex Imperatorum uniformiter fere assignent, per Cyclos tamen plerique non supputant, exceptis paucis, qui à tertio Imperatore Hoam ti, propterea quod is dictum Cyclum à Fo hi excogitatum perfecit, rationem hanc numerandi ordiuntur. Ut ut fuerit, saltem ante Yao Imperatoris tempora in usu fuisse dictum Cyclum, vel hinc saltem liquet, quod primum huius imperantis annum non à primo Cycli anno, sed à quadragesimo primo, Kia xin dicto, Sinarum annales omnes uniformiter incipiant. Quid autem Sinae per suum sexaginta annorum Cyclum velint intelligi, item quos usus inde petant, breviter declarandum est.*

*Sciendum igitur, dictum Cyclum nihil esse aliud quàm periodum, seu aureum quemdam, ut ita loquar, numerum sexaginta, qui binis singuli characteribus ceu nominibus sunt insigniti, quibus semel exactis, denuò illos à capite seu unitate, quoad sexaginta confecerint, & sic iterum interumque ordiuntur; non aliâ prope ratione, quàm quâ, exactâ primâ Olympiade, sive quatuor, ex quibus haec constabat, annis, ad alios quatuor annos, [xiii] adeoque secundum Olympiadem, & sic ad tertiam quartamque Graeci procedebant, cum ea tamen disparitate, quod Graeci quidem, cùm unaquaeque Olympias quatuor duntaxat annis constaret, adeoque crebras admodum Olympiades esse necesse foret; ipsi non tantùm quoto Olympiadis anno res aliqua fuisset gesta, sed etiam quota esset ipsa Olympias, sollicitè significarent, ne alioquin prorsus incerta confusaque redderetur temporum ratio. Sinae verò tametsi in summario computo significant Cyclorum ipsorum numerum, haudquaquam tamen laborant, ut in decursu historiae suae identidem id Lectori revocent in momoriam, annum currentis Cycli duntaxat, eiusque nomen indicare contenti, ex quo nomine quotus is sit Cycli annus, facile conjicitur: cùm is enim aetatem ferè aequet hominis, & satis numerosam quippe sexaginta annorum seriem comprehendat, supervacaneum scilicet videbatur identidem rememorare quotus ipse Cyclus esset: in fine tamen suorum annalium summam Cyclorum omnium exactam Scriptores plerumque subducunt. Nos autem in hac Synopsi Chronologica, quò clariores simus, significabimus etiam quotus sit quisque Cyclus, uti & apud aliquos Scriptores legimus, & Olympias, ut ita loquar, Sinica. Porro singulis annorum suus, ut dixi, character est, suumque nomen, quod binis duntaxat litteris constat: litterae autem partim sunt duodecim illae, quibus ipsi diei noctisque duodecim horas distinguunt: tot etenim horas numerant, non uti nos quatuor & viginti: partim*

*decem aliae litterae, quas nos radicales seu cardinales vocabimus. Jam verò & his & illis sic utuntur, ut primam numero horariam adjungant primae cardinali, deinde secundam horariam secundae cardinali, & sic deinceps: exacto denario numero, rursus primae cardinali adjungunt undecimam horariam, secundae duodecimam, tertiae deinceps cardinali horariam [xiv] primam, &c. atque ita cùm horariae duabus litteris seu numeris superent cardinales, sit ut quaevis horaria diversae semper cardinali adjungatur, quoad exhaustis sexaginta annorum numeris, singuli ad primum situm & quasi pristinam societatem revertantur: quod ut magis perspicuum sit Lectori, nos hîc Paradigma Sinicum, seu potiùs Europaeum, quod Sinico respondet, subjicimus; hoc autem ex decem primis Alphabeti litteris sexies redeuntibus, nec nisi duodecim notis numeralibus seu horariis quinies redeuntibus contextetur.*

### PARADIGMA CYCLI SEXAGINTA ANNORUM

*ex decem alphabeti litteris, & duodecim horarum numeris concinnatum.*

A I.	B II.	C III.	D IV.	E V.	F VI.	G VII.	H VIII.	I IX.	K X.	10.
A XI.	B XII.	C I.	D II.	E III.	F IV.	G V.	H VI.	I VII.	K VIII.	20.
A IX.	B X.	C XI.	D XII.	E I.	F II.	G III.	H IV.	I V.	K VI.	30.
A V.	B VI.	C IX.	D X.	E XI.	F XII.	G I.	H II.	I III.	K IV.	40.
A V.	B VI.	C VII.	D VIII.	E IX.	F X.	G XI.	H XII.	I I.	K II.	
A III.	B IV.	C V.	D VI.	E VII.	F VIII.	G IX.	H X.	I XI.	K XII.	50.
										60.

*Atque hic est aureus ille, quem exhibemus, Sinarum numerus, ipsis lo xe hoa kia dictus, id est, sexaginta conversionum constructio: qui quidem numerus perennis instar fluvii suum semper cursum tenens, quaecumque tandem incidant mutationes rerum, adeoque ipsos inter ortus atque occasus Regalium familiarum volvitur & volvetur, ut aiebat ille, in omne volubilis aevum. Illo autem non anni tantum, sed & menses, & dies, & horae sua cum proportione per totum signantur Imperium.*

*Ut igitur aptè dilucidèque texatur haec Chronologia, [xv] & sic, ut deinde nullum sit erroris periculum, pro regula nobis esse debet Cyclo ille, quem dixit, sexaginta annorum: hoc enim Cyclo ceu manu ducunt Lectorem Historiographi ad propria cuiusque Imperatoris tempora, tam ea quibus ipse est auspicatus Imperium, quàm ea*



quibus idem tenuit atque administravit. Quòd si observetur aliqua varietas Scriptores inter, dum supputant annos quibus quisque imperavit, Cyclus iste litem mox dirimit; & si quid fortè temporis vitio, vel negligentia Typographorum irrepserit, ceu accuratus Censor castigat emendatque. Exemplis res patebit.

In more positum est apud Sinas, ut annus iste quo moritur Imperator, tametsi primo anni mense mortuus sit, totus tamen eidem etiam mortuo adscribatur; adeoque is qui in Imperium successit, non nisi à primo mense proximè sequentis anni annos ordiatur Imperii sui; ubi è contrario, annum quo nati sunt, totum aetati suae vulgò Sinae adscribunt, tunc etiam quando postremo die anni nati sunt. Ita dicimus quòd CHRISTUS natus sit anno sexto Imperatoris ex Han familia, Hiao ngai ti dicti (quae voces obedientem & misericordem Imperatorem sonant) cùm hic tamen eiusdem anni mense sexto obierit; atque ita quinque ante mensibus quam Salvator nasceretur. Salvator enim revera natus fuit sub eius successore, cui Hiao pim ti cognomentum erat; quae duae voces seu literae obedientem & pacificum Imperatorem significant. Cùm ergo nono mense eiusdem anni Princeps ille pacificus adierit Imperium, sequitur natalem Regis Regum verique Pacifici incidisse in tertium mensem novi Imperatoris, qui Decembri Europaeo exacte respondebat, & erat mensis undecimus anni sexti, qui totus tribuitur defuncto Imperatori. Atque haec etiam est causa, cur plerumque Historiographi, tametsi mentionem faciant eorum Imperatorum, [xvi] quos non nisi diebus aliquot aut mensibus eiusdem anni, quo decessor obierit, contigit imperasse, à serie tamen Imperatorum eos excludant, quandoquidem nequeat iis adscribi iste annus quo orsi sunt Imperium.

Caeterùm non rarò accidit, ut aliqui Imperatores, praeter morem jam dictum, pro arbitrio adscribi sibi voluerint annum illum quo eorum decessor obierat, tunc praesertim quando extinctâ veteri familiâ, nova & victrix Imperium suum auspicabatur, sive id felicitatis novo dominatui suo captandae gratiâ, sive aliis de causis fecerint, uti planè nostris temporibus usuvenit; nam ei qui auspicatus est Monarchiam Tartarico Sinicam, Imperatori Xun chi dicto anni tribuuntur octodecim, cùm tamen septemdecim tantùm tribuendi sint, siquidem morem stylumque modò dictum rigidè observemus: sed nimirum vindicavit sibi Tartarus annum illum, quo postremus ex Ta mim familia Imperator çum chim dictus, laqueo sibi vitam & imperium finivit; adeoque cùm dicitur hic çum chim imperasse annis septemdecim, & Tartarus octodecim, hic tamen revera nisi septemdecim imperaverit, eosque non integros, patet duos annos pro unico mendosè numerari: dixi non integros, quia Xun chi diem obiit secundo mense anni decimi octavi, qui pro antiquo usu totus ei tribuitur, prorsus ac si Cam hi eius filius non nisi anno proximè sequenti patri successisset. Quocirca Lector perturbari non debet, si fortè in uno Scriptore aliud anni Cyclici nomen quo quis coepit imperare, reperiat, in alio item aliud: quod enim decessoris annis exempli gratia adnumeratur, annis successoris detrahatur; unde errorem hunc aliosque huiusmodi Cyclus perenni semper

*cursu volvens corrigit: quo neglecto, si quis omnes annos caece computet, qui unicuique Imperatorum plures ab aliis, ab aliis pauciores adscribuntur, à iusto annorum computo [xvii] pronissimum est aberrare; cum è contrario siquidem illa Cyclorum normâ se rexerit, nullo negotio quidquid superfluum vel inaequale fuerit, mox tollet vel aequabit.*

*Imò ne tunc quidem errare periculum erit, cùm plurium annorum hiatus, vel alia quaequam Scriptores inter diversitas occurrerit: etenim factum est subinde, ut priore familiâ nondum penitus extinctâ (propterea quod huius Imperator quamvis obscurus jam victusque, adhuc tamen superstes esset) victor annos victi praeter morem sibi vindicaret. Sic primo Imperatori duodecimae familiae Sui dictae tribuuntur à quibusdam Historicis anni viginti quatuor, cùm tamen tantùm sexdecim tribui debeant, quippe non ante septimum eiusdem annum extinctus fuit praecedentis familiae Chin dictae Imperator: quos septem annos cum iisdem Scriptores familiae quae victa fuit non demant, & eosdem tamen rursus adscribant victrici, utique pronissimum erat errare, nisi bis repeti novem annos Cyclus illico doceret.*

*Rursus omittunt aliquando Historiographi non tantùm Imperatores illos, qui per dies aliquot aut menses imperarunt, sed & illos qui per aliquot annos Imperium tenuere. Sic ante Yao Imperatorem per octo aut novem annos imperasse dicitur Chi Imperatoris Ti co dicti filius; sed quia is deinde à paternis exemplis atque institutis degener deflexit, à Regulis Imperio suo privatus est, subrogato in ejus locum Yao Rege; quod alibi quoque non rarò usuvenit.*

*Atque hisce de causis inter Scriptores haud exigua quandoque varietas existit, illos praesertim qui compendia sectantes, magis de rerum & sententiarum pondere, quàm de exacta illa temporum ratione laborant: unde si unum duntaxat alterumve scriptorem Europaeus hic consulat, utique periculum erit ne is in annis supputandis erret; contra si plures consuluerit, conciliare omnes inter se nullo propè negotio poterit.*

[xviii] *Sed aliud quoque hic indicare operaepretium fuerit, quod erit Lectoribus Annalium Sinensium studiosè observandum: instituerunt enim quintae familiae Han Imperatores characteres quosdam seu potiùs cognomenta annorum ex duobus characteribus conflata, praeter ea quae à Cyclo, ut suprâ diximus, suo singuli ordine sortiuntur. Porro non illo tantùm anno quo quisque auspicabatur Imperium, sed & aliis deinde annis pro cuiusque Principis arbitrio nova nomina imponebant, priore scilicet cognomento cum suis annis relicto; atque ita novis quodommodo auspiciis imperare incipiebant, sive id captandae novae felicitatis gratiâ facerent, sive renovandi in se suisque imperii. Huiusmodi cognomenta de multis sunt sequentia: aeternum principium, aeterna fortitudo, tranquillitas, veritas, laetitia, concordia, sanctitas, gloria, felicitas: item, summa virtus, belli virtus, mars inundans, suprema lex, suprema pax, gubernatio, concordia, prosperitas, pietas longaeva; caeli auxilium, caeli lex, caeli thesaurus, caeli opus, caeli decus, caeli favor, caeli gaudium, caeli fortitudo, caeli firmitas, caeli*

prosperitas, et c. Fuerunt igitur qui decies mutarunt anni cognomentum pro ratione annorum plurium quibus imperavere: ad haec cognomentis singulis alii annum unicum dederunt, alii quatuor, alii sex vel septem, alii denique omnes, quibus imperabant annos uno eodemque cognomento insignitos voluere.

Cùm igitur Historiographi in actis Imperatoris cuiuspiam commemorandis, quoad temporis computum, illius praecipuè cognomenti, quod proximè ab eo institutum erat, rationem habeant, ab illo numerantes annos Imperii, non aliter quàm si isto revera anno auspicatus Imperium fuisset, pronissimum utique est Lectorem in supputandis istius Imperii annis haesitare identidem, quin & errare, [xix] (quamvis ipsi Cylo suus constet numerus & cursus imperturbatus) nisi institutionis huius conscius reddatur. Res tota exemplo fiet clarissima. Dicimus CHRISTUM Dominum natum fuissse Han<sup>1</sup> Ngai<sup>2</sup> Ti<sup>3</sup> Yuen<sup>4</sup> Xeu<sup>5</sup> Lh<sup>6</sup> Nien<sup>7</sup>, id est, Han<sup>1</sup> familiae Ngai<sup>2</sup> Imperatoris<sup>3</sup> originalis<sup>4</sup> longaevitatis<sup>5</sup> secundo<sup>6</sup> anno<sup>7</sup>, (binae litterae Yuen xeu, seu originalis longaevitatis anni cognomentum sunt) sive postquam dictum cognomentum in usu esse coepit anno secundo. Porro secundus hic annus revera sextus est dicti Imperatoris, siquidem annos supputemus ad infallibilem Cycli calculum: sed hic Imperator bina scilicet regnatui suo cognomenta instituit: primum fuit Kien pim, ab erigenda pace dictum, quod cognomentum cum ipsis Imperii auspiciis ortum suum habuit, & per annos quatuor fuit in usu, quibus exactis aliud istud Yuen xeu, quod originalem longaevitatem sonat, anno Imperii sui quinto imposuit, à quo tamen anni Imperii eius denuò coepti sunt numerari à capite prorsus ac si alii quatuor non praecessissent. Porro hoc cognomentum duobus annis duntaxat (neque enim pluribus ipse vixit) duravit; cumque secundo eiusdem cognomenti anno natus sit CHRISTUS, si supputes iuxta Cyclum sexagenarium, erit is sextus illius annus & postremus, qui est instituti ab ipso cognomenti secundus. Atque hic mos jam inde à quarto Imperatore familiae Han, anno ante Christum 196. inductus usque ad haec tempora nunquam interruptus perseveravit. Ex penultima tamen familia Mim dicta, & hac Tartaro-Sinica, Imperatores singuli unicum duntaxat cognomentum suo quisque regnatui assignaverunt.

Et haec quidem de Sinicae Chronologiae epocha, seu sexaginta annorum Cyclis eorumque usu dicta sufficiant, nunc ad ipsam Tabulam Chronologicam progrediamur.

[xx] PRIMI SINARUM CONDITORES.

FO HI Sinicae gentis Conditor, oriundus ex provincia *Xen si*, unde sedem transtulit in *Chin cheu* opidum prov. *Ho nan*. Vinctimas offert Spiritui caeli & terrae, in quem finem alebat animalia. Ex contemplatione caeli & rerum subLunarium commentus librum seu tabulam *Ye Kim* dictam, hoc est, Mutationum, cui commentandae Rex *Ven vam* 1800. ferè post annis, & eius filius *Cheu cum*, & 600. rursus post annis *Confucius* Philosophus operam dedere. Orientis extremi incolas à barbara & agresti vita ad humanitatem FO HI paulatim reducit. Connubia stabilit eâ lege, ut non ineantur nisi inter diversi nominis familias; quae lex hodieque viget. Litterarum (quarum loco nodis utebantur) fundamenta sex jacit. Musica quoque instrumenta, alterum 27. alterum 36. fidium invenit. Draconem vult esse gentis insigne, quod deinde *Vu vam* tertiae familiae Fundator sanxit ut esset quinque unguum pro solis Imperatoribus. Regnasse fertur centum & quidecim annis.

XIN NUM matre matre *Ngan tem* oriundus, placidi vir ingenii, & qui clementia sua vicinos sibi barbaros conciliavit. Aulae sedem ex *Ho nan* transtulit in *Yen cheu* in prov. *Xan tum*. Invenit aratrum, & docet agros colere & serere. Medicum agit. Die uno fertur duodecim herbas venenatas, ac totidem antidota invenisse. Herbariolum conflavit. Ex aqua marina sal conficit. Mercimonia instituit, forum ad nundinas designat. Dicitur obiisse dum ditiones *Hu quam* lustraret. Regnasse traditur 140. annis, & sepultus esse in civitate Cim.

Recensentur huius posterii seu successores septem per annos 380. an & quam privatim ditionem administrarint, incertum. Memorant certè XIN NUM posteros à tertiae *Cheu* familiae Conditore *Vu vam* donatos dynastiâ *Ciao* 1700. circiter post annis. Scribunt item aliqui XIN NUM fratrem extitisse proximè sequentis HOAM TI Imperatoris ex patre scilicet Regulo *Yeu hium*.

[1]

TABULA CHRONOLOGICA Monarchiae Sinicae ANTE CHRISTUM  
juxta Cyclos annorum 60

*CYCLUS I. Annus ante Chr. 2697.*

**1. HOAM TI, alio nomine *Hiuen yuen*, regnat annis 100.**

HOAM TI, hoc est, flavus Imperator, matre *Fu pao* natus, & Fundator Monarchiae, duodennis coepit imperare, electus à Regulis. Aulam habuit *Cho cheu* in provincia Pe kim. Templum Pacis dedicat *Xam ti*, id est, supremo Imperatori seu Deo, etsi dein sub dio sacrificari solitum. Rebellem chi yeu è stirpe *Xin num* tertio praelio debellat. Majestas Imperii sub hoc coepit; diadema, color flavus solis Imperatoribus permissus.

Usus operâ *Ta nao* Cyclum sexagenarium perficit.

Astronomiam & Arithmeticam tabulam, necnon Musicam & musica instrumenta invenit, item arma, arcum, retia, currus, navigia, artes fabrilem & figulinam, mensuras ac pondera.

Fundit 12. aera campana, 12. anni menses referentia.

*Ciu cum* & *çam kie* (qui & characteres invenit) Chronistas creat.

Colaos, seu supremos regni Ministros sex creat.

Rebelle Principes quinque debellat.

Regina *Luy su* docet bombyces alere, sericum texere, & coloribus intingere.

*CYCLUS II. Annus ante Chr. 2637.*

HOAM TI artem quoque medicam de pulsibus huc usque usitatam pluribus libris conscribit, adjutoribus *Ki pe*, *So ven*, *Luy cum*.

[2] Avis Solis in palatii fastigio, & in sylva Unicornis conspicitur, utrumque magnae felicitatis augurium.

Filios mares habuit 25. à quibus series nepotum longissima: quin & trium Imperialium familiarum Imperatores 85 per annos 2457 ab HOAM TI ceu rami à trunco ortum ducunt.

**2. XAO HAO, aliàs *Kim tien*, regn. 84.**

Anno secundi Cycli 40. HOAM TI moritur aet. III sepultus in prov. *Xan tum*. Anno 41 succedit XAO HAO decessoris filius ex *Luy su* Regina: huius natale solum, aula & sepulcrum, Kio feu civitas prov. *Xan tum*.

*CYCLUS III. Annus ante Chr. 2577.*

Imperante XAO HAO Avis Solis rursus visa, quam vult esse insigne Imperii.

Pax sub hoc diuturna. Coetus hominum muris claudit, urbesque constituit.

Auctor est novae musicae. Trahendis curribus boves jungit.

Per varia volucrum genera distinguit Praefectorum civilium gradus novem : per belluarum symbola, militarium Praefectorum sex ordines ; qui mos hodie durat.

Hujus 4 filii magistratum gerunt sub sequenti Imp.

*Kieu li* seu novem Dynastae ordinem sacrificiorum perturbant, plebem spectris & larvis dementant : hinc initia superstitionum, ex quo periclitatur Imperium.

*CYCLUS IV. Annus ante Chr. 2517.*

### **3. CHUEN HIO, aliàs *Cao yam*. regn. 78.**

Anno huius Cycli 4 moritur XAO HAO aetat. 100. Anno 5 succedit CHUEN HIO nepos HOAM TI ex matre *Kiu kiue*.

Aula in oppido *Hoa* prov. *Pe kim*.

Princeps pius & religiosus, debellat 9 Regulos, sacrificiorum ritus ad pristinum reducit, sublatis abusibus.

Statuit ut supremo coeli Imperatori solus Imperator in terrâ solenni ritu sacrificet.

Fuit auctor & parens Calendarii, quod quotannis à solâ aulâ solenniter per Imperium hodieque distribuitur.

Principium anni statuit à Novilunio principio Veris proximo, quod respondet in Sina quinto Aquarii gradui; quae ratio temporis subinde fuit immutata, & uno alterove mense anticipata, ac tandem sub 5<sup>ae</sup> familiae *Han* 5<sup>o</sup> Imperatore *Hiao uu* revocata usque hodie observatur.

5. Planetarum conjunctio tum ab eo observata eo ipso die, quo Solis & Lunâe conjunctio fuit.

*CYCLUS V. Annus ante Chr. 2457.*

### **4. TI CO, aliàs *Cao sin*. Regn. 70.**

Anno Cycli 22 moritur CHUEN HIO aet. 91 sepultus in oppido *Hoa* prov. *Pe kim*. Ejus epitaphiu hodie extat. Anno 23 succedit TI CO ejus nepos ex *Chao kie* patre.

Aula *Yen su* civitas, prov. *Honan*.

Princeps obediens coelo, spirituum quoque venerator, gravis & beneficus, forma Imperio digna.

Eodem quo sapientes habitu & cultu utitur.

Pax sub hoc diuturna. Fratres eorumque filios Dynastas creat in prov. *Su chuen*.

[3] Quatuor Reginas novo exemplo habuit. Prima pòst votum Deo factum impetravit Cie filium, de re agraria optimè apud posteros meritum. Secunda dicta Kim tu, decimo quarto à conceptu mense enixa est *Yao*. Tertia pòst oblatum Deo sacrificium suscepit *Sie*. Quarta *Chi* filium habuit.

*CYCLUS VI. Annus ante Chr. 2397.*

### ***Chi* regn.8**

TI CO constituit publicos preceptores edocedis populis.

Vocalem musicam instituit, ad unionem mutuam & virtutum studia provocantem.

### **5. YAO, aliàs *Tam & Tao*, regn. 100**

Anno Cycli 32 moritur TI CO aet.105 sepultus in *Pe Kim*. Anno 33 succedit *Chi* filius è quarta Regina, sed quia exlex & degener, anno Cycli 40 à regulis privatur Imperio. Hic à numero Imperatorum excluditur.

Anno 41 YAO filius TI CO Imperio praeficitur. Solus regnat annis 72 & insuper cum XUN Collega 28 an. Aula urbs *Tai yuen* in prov. *Xan si*.

Fuit hic Imperator simul & legislator uti & XUN successor, uterq; totius posteritatis Principibus norma & exemplar; erga pauperes pius, & aetate grandaevos reverens: quòd eorum certus numerus in singulis urbibus hodieque annonâ regiâ alatur, hinc manasse creditur.

*CYCLUS VII. Annus ante Chr. 2337.*

YAO cùm opibus abundaret, vulgari victu, vestitu, domo, strato contentus imperat. Suorum culpas & publicas calamitates sibi uni adscribit.

Astronomis *Ho & Hi* adjutoribus ordinat 12 Lunâres menses, sex 30 dierum, & totidem 29 quin & intercalares menses, qui intra annos 19 septies recurrunt.

Sex tribunalia suprema instituit, quae hodieque perseverant, uti & quinque ordines Nobilium titularium.

Adeò suaviter per 50 annos regit, ut regere non sentiretur.

Anno Cycli 40 ingens diluvium novennale. Ejus aquis educendis praefuit *Quen*. Hic inertiae suae poenam capite luit. Ejus filius Yu substituitur, qui 13 annos educendis in mare & aliò aquis feliciter impendit, sceptrum pro meritis obtenturus.

Anno 50 XUN ex agro ad praefecturam evehitur ab YAO solâ obedientiae famâ

commoto. Eidem duas filias nuptui dat.

Anno 53 ad Imperii per annos 28 societatem evehitur XUN. Hic quoties lustrat Imperium, priùs *Xam ti* seu Deo sacrificat. Domat rebelles quatuor è stirpe *Hoam ti*. Quinque genera suppliciorum instituit, in iis exequendis comiserationem commendans. Vide *Xu kim*.

*CYCLUS VIII. Annus ante Chr. 2277.*

XUN Sphaeram 7 planetarum construit ex pretiosis lapidibus; Imperium in 12 dividit regiones.

Anno Cycli 20 moritur YAO aet. 118 relictis 9 filiis, sepultus in *Kio feu* in prov. *Xan tum*. Eum per triennium luget populus, velut patrem matremque.

[4]

## **6. XUN, aliàs *Yu*, solus regn. 50.**

Anno 21 succedit XUN à decessore designatus. Aula Pu cheu in prov. *Xan si*. Tria examina instituit ad Praefecti cujusque merita & demerita exploranda.

Anno 36 novae stellae visae, quorum una instar semiLunâe, nubes item visae insolitis coloribus variegatae.

Musicam novam instituit, canit ipse tam voce quam fidibus.

Hisce temporibus aut fasce lignorum cadavera involvebant, aut testaceis usi sarcophagis, hos seq. Imperator jussit è ligno compingi, qui mos hodieque viget.

Anno 54 seligit *Yu* in Imperii Collegam per an. 17.

In tabula palam exposita notari à quovis permittit, si quid à se peccatur. Sunt huic à consiliis octo è stirpe CHUEN HIO, & totidem è stirpe TI CO. Optimatum ejus *Cao tao*, *Pe ye* & *Cie* praeclara monita extant in libro *Xu kim*.

*CYCLUS IX. Annus ante Chr. 2217.*

## **1. YU, solus regn. 10.**

Anno Cycli 10 XUN moritur aet. 110 sepultus in prov. *Xen si*. Anno 11 succedit YU seu TA YU, id est, *magnus YU*, CHUEN HIO ex quinta stirpe nepos, à XUN electus relictis filiis. Fundat primam Imperialem familiam *Hia*, quae tenuit annis 458 sub 17 Imperatoribus.

Aula, oppidum *Ngan ye* in prov. *Xan si*.

Pius & misericors. In 9 provincias Imperium dividit, annotans cuique ditioni quaenam (ex 28) constellatio respondeat V. in lib. *Xu kim* quae de agrorum divisione &



agricultura conscripsit.

Novem vasa ingentia fundit velut 9 Provinciarum monumenta. Musicam instituit in laudem 2. Legislatorum *Yao & Xun*. Vinum vetat, inventore *Y tie* castigato. Tympanum & campanam ad palatii valvas erigit, cujus pulsu suos auditurus prodeat: qui usus hodieque viget.

## **2. TI KI regn. 9.**

Anno 20 YU moritur aetat.100. Anno 21 succedit TI KI filius, à Regulis ob merita patris electus, relicto *Ye Colao*, quem YU praedecessor coelo proposuerat in successorem. Ab hoc haereditaria per filios successio & nepotes. Novem ordines musicae & tripudiorum instituit.

## **3. TAI CAM regn. 29.**

Anno 29 moritur TI KI, an.30 succedit TAI CAM fil.

Anno 31 quinque fratres suos dynastiis donat : ipse vero luxui & venationi deditus, Imperii res negligit.

Anno 47 venationi ultra fluvium *Lo per* 100 dies vacanti intercipitur ab *Y Regulo* ad aulam reditus, assumitur in solium frater minor CHUM CAM, qui titulum regium recusat vivente fratre.

## **4. CHUM CAM regn. 13.**

Anno 58 TAI CAM moritur, pergat regere CHUM CAM prudens & modestus Princeps.

*CYCLUS X. Annus ante Chr. 2157.*

Anno Cycli 2 aut ut alii, 6. Eclipsis Solis, quam quia *Hi & Ho* Astronomicae rei Praefecti vino immersi non detexere, morte mulctantur.

## **5. TI SIAM regn. 27.**

Anno 13 CHUM CAM moritur. Anno 14 succedit TI SIAM filius.

[5] à patris institutis degenerat: aula mutat in *Xam kieu*.

Committit temere regimen Imperii *Y regulo*; hic *Hanzo*, à quo paullò pòst è medio tollitur.

Anno 38 TI SIAM occiditur à *Hanzo*, qui usurpat tenetque Imperium per 40 annos.

Regina ad patrem Regulum regni Gem praegnans fugit, paritque *Xao cam*, qui post 40 annorum interregnum imperabit.

*Xao cam* adhuc privatus degens, per plures annos ditionem *Yu*, cui maternus avus eum praefecerat, cum laude regit.

#### **6. XAO CAM regn.22.**

Anno Cycli 18 in praelio occiditur rebellis *Hanzo* à Regulo *Mi*, qui anno seq. XAO CAM generum suum ad Imperium paternum reducit, quod 22 an. administrat.

Sub hoc pristina Imperii resurgit norma. Barbari legatione funguntur. Comitia Regulorum veteri more peraguntur.

Filium *Vu yu* creat Regulum ditionis *Yue*, alterum *Kio lie* creat Regulum ditionis *Vm*.

#### **7. TI XU regn.17.**

An. 40 moritur XAO CAM. An. 41 succedit TI XU filius.

Anno 44 maris Eoi rebelles domat.

#### **8. TI HOAY regn.26.**

An. 57 TI XU moritur. An. 58 succedit TI HOAY filius.

Anno 60 novem barbarorum Orientalium Legati clientelam agnoscunt.

*CYCLUS XII. Annus ante Chr. 2037.*

TI HOAY Imperator otio & veneri se dedit, res Imperii Ministris tradit administrandas.

#### **9. TI MAM regn.18.**

Anno Cycli 23 TI HOAY moritur. Anno 24 succedit TI MAM filius.

Hic lustrat Imperium ad mare eoum.

Aulae sedem mutat ad Crocei fluminis occidentem.

#### **10. TI SIE regn.16.**

Anno 41 TI MAM moritur. Anno 42 succedit TI SIE filius.

Primus titulis donat Barbarorum Dynastas.

**11. TI PU KIAM regn.59.**

An 57 TI SIE moritur. An. 58 succedit TI PU KIAM fil.

*CYCLUS XIII. Annus ante Chr. 1977.*

Debellatis novem Dynastis, pacificè gubernat.

**12. TI KIUM regn.21.**

Anno Cycli 56 TI PU KIAM moritur. Anno 57 succedit TI KIUM frater, expulso scilicet per nefas haerede filio CUM KIA dicto, postea regnatura.

*CYCLUS XIV. Annus ante Chr. 1917.*

**13. TI KIN regn.21.**

Anno Cycli 17 moritur TI KIUM. Anno 18 succedit TI KIN filius.

Deditus veneri & superstitionibus. Multi reguli rebellant, hinc Imperii res pessum eunt.

**14. CUM KIA regn.31.**

Anno 38 TI KIN moritur. Anno 39 succedit CUM KIA filius TI PU KIAM.

Luxui & veneri totum se dedit, hinc Imperio impendet ruina. Ad Comitia Reguli venire detrectant.

Anno 57 duo dracones mas & femina capti, & cuidam comissi ad alendum.

[6] *CYCLUS XV. Annus ante Chr. 1857.*

Anno Cycli 5 nascitur CHIM TAM futurus familiae sequentis Conditor.

**15. TI CAO regn.11.**

Anno 9 CUM KIA moritur. Anno 10 succedit TI CAO filius, luxui & veneri deditus.

**16. TI FA regn.19.**

An. 20 TI CAO moritur. An. 21 succedit TI FA filius.

Reguli beneficiarii Imperatorem de more adeunt.

## **17. KIE regnavit 52.**

Anno 39 TI FA moritur. Anno 40 succedit KIE filius, tyrannus & lascivus.

Princeps magnis naturae dotibus instructus, iis corporis viribus, ut ferrum manibus frangat.

In pellicis *Muy hi* gratiam turrim è lapide pretioso construit : monitores clientes occidit, alii aulam deserunt.

Lacum vini efficit, in quo 3000 hominum lasciviant.

*CYCLUS XVI. Annus ante Chr. 1797.*

A *Tam* regulo mittitur Sapiens *Y yn*, ut KIE Regem ad frugem reducat: hic desperatâ ejus correctione quarto anno rediit.

Anno Cycli 21 *Tam* in carcerem à KIE mittitur, mox solvitur. *Tam* ab 800 Dynastis & populo contra KIE incitatur, cogitur vel invitus arma capere.

Anno 31 KIE à suis copiis desertus, & extra fines Sinicos fugitivus pòst triennium moritur. Prima familia Imperialis extinguitur.

## **1. CHIM TAM regn.13.**

Anno 32 CHIM TAM nepos HOAM TI ordine 17 Imperium adit anno aet.87 & fundat familiam *Xam*, quae tenuit annos 644 sub 28 Imperatoribus. Aula urbs *Quei te* in prov. *Ho nan*. Princeps pius & modestus.

Annum inchoat à Lunâ quae hyemali solstitio vicinior, & respondet Januario. Colore albo in vexillis & insignibus utitur, quemadmodum nigro praecedens Hia familia, & purpureo sequens familia *Cheu*.

Sub hoc fames septennalis, fortassis eadem quae in sacris Litteris in universo orbe fuisse scribitur Gen. 41.

CHIM TAM pro populo se in victimam Deo offert, oranti coelum annuit effusis imbribus: aurifodinas aperit: laetitiae publicae musicam instituit.

## **2. TAI KIA regn.33.**

Anno 44 CHIM TAM moritur aet.100. Anno 45 succedit TAI KIA nepos ex primogenito TAI TIM vita functo. *Y yn* Colaues degenerantem Principem horto avi

sepulchrali includit, donec resipiscens ad solium pòst triennium reducitur.

*CYCLUS XVII. Annus ante Chr. 1737.*

TAI KIA pii Principis & morigeri speculum fuit.

### **3. VO TIM, regn.29.**

Anno Cycli 17 TAI KIA moritur. Anno 18 succedit VO TIM Conditoris alter nepos.  
Is Colai *Y yn* consiliis utitur.

Anno 25 *Y yn* Colaui moritur aetat.100. Parentat ei apparatu regio Imperator: hujus  
deinde filius *Y pu* quinque Imperatoribus à consiliis fuit.

### **4. TAI KEM, regn.25.**

Anno 47 VO TIM moritur. Anno 48 succedit TAI KEM frater.

[7] *CYCLUS XVIII. Annus ante Chr.1677.*

### **5. SIAO KIA, regn.17.**

Anno Cycli 11 TAI KEM moritur. Anno 12 succedit SIAO KIA filius.

### **6. YUM KI, regn.12.**

Anno 28 SIAO KIA moritur. An.29 succedit YUM KI frater.

Initia collabentis Imperii. Regulorum aliqui ad Comitia detrectant venire.

### **7. TAI VU, regn.75.**

Anno 40 YUM KI moritur. Anno 41 succedit TAI VU frater.

Eo ipso anno arbor morus 7 dierum spatio frondes explicat, mox tridui spatio  
prorsus exarescit : hinc sinistrum augurium.

Colaui *Ye pu* docet inferiora esse virtute auguria.

Imperii res restaurantur.

*CYCLUS XIX. Annus ante Chr.1617.*

Aulam transfert in *Ho nan* provinciam ob frequentes eluviones fluvii Crocei, quod

saepius factitatum, aula jam trans, jam cis fluvium translata.

Magna sub hoc Imperatore pax per 70 circiter annos.

Comitiis intersunt 76 regnorum Legati.

Priscas leges de senibus sustentandis, & justis erga mortuos persolvendis restaurat.

#### **8. CHUM TIM regn.13.**

Anno 55 TAI VU moritur. An.56 succedit CHUM TIM filius.

Sub hujus auspiciis domantur latrocinantes barbari.

Ob eluviones aula ex *Po* prov. *Xan si* tranfertur in *Ngao* prov. *Ho nan*, & deinde in prov. *Pe kim*.

*CYCLUS XX. Annus ante Chr. 1557.*

#### **9. VAI GIN, regn.15.**

Anno Cycli 8 CHUM TIM moritur. Anno 9 succedit VAI GIN frater.

Aulae sedem mutat. Ab hoc tempore filios inter & fratres pro Imperii jure bellorum initia per an. fere 200.

#### **10. HO TAN KIA, regn.9.**

Anno 23 VAI GIN moritur. Anno 24 succedit HO TAN KIA frater.

Aula transfert *Ngao* in *Siam* ditionem prov. *Ho nan*.

#### **11. ZU YE, reg.19.**

Anno 32 HO TAN KIA moritur. Anno 33 succedit ZU YE filius.

Aulam transfert in *Kem*, nunc urbem *Xun tu*; dein ob eluviones ad Ortum.

Res Imperii collapsas restaurat: hinc pax alta.

Reguli ad Comitiam celebranda ventitant.

#### **12. ZU SIN, regn.16.**

Anno 51 ZU YE moritur. Anno 52 succedit ZU SIN filius.

*CYCLUS XXI. Annus ante Chr. 1497.*

#### **13. VO KIA regn.25.**

Anno Cycli 7 ZU SIN moritur. Anno 8 succedit VO KIA frater.

**14. ZU TIM regn.32.**

Anno 32 VO KIA moritur. An. 33 succedit ZU TIM filius ZU SIN.

*CYCLUS XXII. Annus ante Chr.1437.*

**15. NAN KEM, regn.25.**

Anno Cycli 4 ZU TIM moritur. Anno 5 succedit NAN KEM filius VO KIA.  
In Imperio ortae dissensiones. Aula transfertur in *Ho nan*.

[8]

**16. YAM KIA, regn.7.**

Anno 30 succedit YAM KIA filius ZU TIM.  
Reguli Comitia negligunt.

**17. PUON KEM, regn.28.**

Anno 36 YAM KIA moritur. Anno 37 succedit PUON KEM frater.  
Aulam Conditoris in prov. *Xan si* eligit, Imperii statum renovat. Pax alta. Comitia frequentantur, familiam *Xam* dictam vult deinceps nominari *Yn*.

*CYCLUS XXIII. Annus ante Chr. 1377.*

**18. SIAO SIN, regn.21.**

Anno Cycli 24 PUON KEM moritur. Anno 25 succedit SIAO SIN frater, otio & luxui deditus.

Incipit rursus Imperium ruinam minari.

**19. SIAO YE, regn.28.**

Anno 25 SIAO SIN moritur. Anno 26 succedit SIAO YE frater, socordiae mancipium.

*Tai pe & Chum yum* fratres, filii Reguli *Cu cum*, quod hunc viderent plus affici natu

minimo *Kilie*, sponte ei regnum cedunt, & in Austrum pergentes regni *Nan kim* fundamenta jaciunt.

*Tai vam* Regulus ex ditione *Pin* migrat in *Ki* ditionem: nomen indit familiae *Cheu* pòst hanc imperaturae.

## **20. VU TIM, regn.59.**

Anno 53 SIAO YE moritur. Anno 54 succedit VU TIM filius, Princeps religiosissimus & pacis amans.

*CYCLUS XXIV. Annus ante Chr. 1317.*

VU TIM in sepulchrali horto patris per triennium de reformando Imperio meditatur : offertur ei à Deo in somniis species viri, quem coloribus, prout viderat, expressum conquiri jubet; inventum inter caementarios Colaum creat, *Fu yue* is dicitur, cujus praeclara monita vide in lib. *Xu kim*.

Pax magna in toto Imperio, & regimen prosperum.

Dum majoribus de more parentat, phasianus advolans insistit ansae vasis Imperialis, mox crocitat, unde felicitatem sibi auguratur ; sed Colaum *Zu ki* à solâ virtute capiendum docet felicitatis augurium. Vide *Xu kim*.

## **21. ZU KEM, regn.7.**

Anno 52 VU TIM moritur. Anno 53 succedit ZU KEM filius.

## **22. ZU KIA, regn.34.**

Anno 59 ZU KEM moritur. Anno 60 succedit ZU KIA frater.

*CYCLUS XXV. Annus ante Chr. 1257.*

ZU KIA perditis moribus Princeps, arrogans, suorum contemptor, hinc rebelliones, ex quibus Imperium rursus ruinam minatur.

Anno Cycli 27 nascitur ex *Ki lie* laudatissimus ubique *Ven vam*.

## **23. LIN SIN, regn.6.**

Anno 32 ZU KIA moritur. Anno 33 succedit LIN SIN filius patri non absimilis.



#### **24. KEM TIM, regn.21.**

Anno 38 LIN SIN moritur absque prole, anno 39 succedit KEM TIM frater.

Anno 50 VU VAM, aliàs *Fa*, nascitur, familiae sequentis fundator.

#### **25. VU YE, regn.4.**

Anno 59 KEM TIM moritur. Anno 60 succedit VU YE filius, blasphemus & scelestus: suspensam utrem plenam [9] sanguine sagitta petit, dicens: *Iaculor in coelum*, seu spiritum coelestem: in scacchulorum ludo nomina indit spirituum, quibuscum ludens, per ludibrium victis insultat. Orientales populi per insulas maris eoi disperguntur ; hinc fortè Japonia aliaque insulae habitatae.

*CYCLUS XXVI. Annus ante Chr. 1197.*

Anno Cycli 3 VU YE blasphemus, fulmine ictus perit in venatione.

#### **26. TAI TIM, regn.3.**

Anno 4 succedit TAI TIM filius.

Orditur bellum cum Regulo regni *Yen*, nunc *Pe kim*.

#### **27. TI YE, regn.37.**

Anno 6 TAI TIM moritur. Anno 7 succedit TI YE filius.

Sub hujus auspiciis *Ki lie* debellat Regulum regni *Yen*, unde ab Imp. titulo *Heu pe* (hoc est Marchionis) donatur. Hic pòst triennium, seu anno Cycli 13 moritur, succedit *Ven vam* filius.

TI YE Imperatori tres erant filii; natu minimus designatur haeres, eo quod duos natu majores ante peperisset uxor, quam reginae titulo esset donata.

#### **28. CHEU, regn.33.**

Anno 43 TI YE moritur. Anno 44 succedit CHEU filius tertius, tyrannice imperat, pellicis *Tan Kia* amoris & furori indulgens.

Novum supplicii genus columnam aeneam ignitam instituit, quam dein suasu *Ven vam* Reguli sustulit. Anno 54 in vincula conjicit *Ven vam* Regulum, quo tertio anno solvitur.

Optimates monitores è medio tollit.

Ab *Tan kia* pellice manasse creditur studium foeminarum in extenuandis pedibus.

Festum lucernarum, quod quotannis 15 primae Lunae celebratur, ab hoc tempore ortum creditur, quod perpetuos sine nocte dies congestis luminibus in Palatio aemularetur Imperator.

*CYCLUS XXVII. Annus ante Chr. 1137.*

### **1. VU VAM, regn.7**

Anno Cycli 3 per 5 dies terraemotus, quo anno Ven vam, principatus sui anno 5 moritur, aetat.97 relictis filiis 12 quos inter VU VAM, qui cum 700 millibus debellat tyrannum CHEU.

Anno 16 CHEU voluntario incendio, & cum eo secunda familia *Xam* extinguitur. Eodem anno VU VAM fundat tertiam familiam *Cheu*, quae tenuit 873 annis sub 35 Imperatoribus.

Aula *Cham Ngam* in prov. *Xen si*.

Inito Imperio, more veteri sacrificat Deo; patrem, avum, atavum, de more Imperatoris titulis ornat. Collapsas familias restaurat; 70 & amplius dynastias inter propinquos & bene meritos distribuit, futurorum bellorum semina. Principium anni statuit eum mensem qui respondet circiter Decembri nostro.

*Ki zu* patrum *Cheu* tyranni Coreae Dynastam creat absque onere clientelae; huius monita V. in *Xu kim*.

[10] *Cheu cum* vitam suam coeli numini devovet pro fratris VU VAM salute, & exauditur.

### **2. CHIM VAM, regn.37.**

Anno 22 VU VAM moritur aet.93. Anno 23 succedit CHIM VAM filius.

Tutor hujus *Cheu cum* patruus ob invidiam multorum ab aula se subtrahit; revocatur cum honore. Ejus praeclara consilia vide in *Xu kim*.

Dum Imperator in horto fratrem suum joco dynastia donat, Colaui *su ye* pro serio haberi vult, addens non esse regium jocari. Legatio sit à Cochinchina: inter munera, alba fuit Gallina. *Cheu cum* magneticum indicem ad reditum austrum versus dirigendum donat.

Anno 33 moritur *Cheu cum*, aet. 100 ritu & sepultura regiâ honoratur.

In Comitibus de vini moderato usu statuitur.

### **3. CAM VAM, regn.16.**

Anno 59 CHIM VAM moritur aet.50. Anno 60 succedit CAM VAM filius, pacis amans & fautor. Comitia celebrat, visitat Imperium, agriculturam reformat, ejus curâ *Chao cum* commissâ.

*CYCLUS XXVIII. Annus ante Chr. 1077.*

Alta pax & concordia tanta, ut emissi è carceribus ad agros colendos ex pacto redeant omnes.

#### **4. CHAO VAM, regn.51.**

Anno Cyclii 25 CAM VAM moritur. Anno 26 succedit CHAO VAM filius, venationi immodicè deditus, hinc regiminis neglectus.

Anno 41 Imperatoris autem 16 nascitur in India ex Regulo *Cim fan* & matre *Mo ye*, auctor sectae Bonzyorum & transmigrationis Pythagoricae, *Foe* dictus. Haec pòst annos 1060 anno pòst Christum 65 in *Sinam* regiâ auctoritate primùm introducetur.

Lustrat Imperium Imperator.

Colores prodigiosi observati in Lunâ.

*CYCLUS XXIX. Annus ante Chr. 1017.*

Anno Cycli 16. Rustici redeuntem à venatu Imperatorem navi malè agglutinata dolosè excipiunt, quâ in medio alvei dissolutâ Rex unà cum suis mersus perit.

#### **5. MO VAM, regnavit 55.**

Anno 17 succedit MO VAM filius, aequi & recti amans.

Equorum & rhedarum immodicè amans, quibus vectus Imperium lustrat.

Domat Australes barbaros provinciae *Hu quam*, ab expeditione redit cum quatuor lupis albis & cervis.

Belli Ducem *Cao fu* creat Regulum regni *Chao* in prov. *Xan si*.

Bellum movet in Tartaros, genero frustrâ dissuadente. Tartari fugâ sibi consulunt; unde infectâ reaulam repetit.

*CYCLUS XXX. Annus ante Chr. 937.*

Anno Cycli 9 moritur in India *Foe*, auctor Metempsychosis, aet.79.

Praeclara monita *Kiun ya* & *Pe kiun* vide in libro *Xu kim*.

[11]

**6. CUM VAM, regn.12.**

Anno 11 MO VAM moritur. Anno 12 succedit CUM VAM filius. Ob tres puellas ejus oculis subductas populum *Mie* regionis insontem delet; facti mox poenitet.

**7. YE VAM, regn.25.**

Anno 23 CUM VAM moritur aet.84. Anno 24 succedit YE VAM filius.  
Nil dignum Imperatore egit, hinc multorum satyricos calamos contra se provocavit.

**8. HIAO VAM, regn.15.**

Anno YE VAM 48 moritur aet.50. Anno 49 succedit per vim HIAO VAM frater.  
Equis adeò deditus, ut *Fi xu* praefectum equilis dynastiâ *Cin* donarit, hujus posteritas per nefas Imperatoriam ab hac familiam fundabit.  
Inusitatus grando boves & equos mactat.

*CYCLUS XXXI. Annus ante Chr. 897.*

**9. Y VAM, reg.16.**

Anno Cycli 3 HIAO VAM moritur aet.63. Anno 4 succedit Y VAM filius, adeò hebes, ut vix Legatos aut Regulos prae pudore admitteret. Advenientes ad Comitia Regulos uno gradu descendens primus excipit cum majestatis regiae dispendio.

**10. LI VAM, regn.51.**

Anno 19 Y VAM moritur aet.60. Anno 20 succedit LI VAM filius.  
Princeps re & nomine crudelis, superbus, & exhaustis civium opibus prodigus.  
Publicis dictis scriptisque sugillatur. Capite sancit, ne quis subditorum inter se loqueretur aut mussitaret. Triennium tenuit durum silentium.  
An. 52 à furente plebe ad necem quaeritur Imp. fugit hic; familia à furente populo occisa, excepto filiolo, quem *Chao cum* Colaui occuluerat. Re cognitâ plebs filiolum reposit; Colaui filiolum suum tradit, qui à populo fraudis ignaro laniatur. Colaui frustrâ tentat reducere Imperatorem per 17 annos vagum & exulem.

*CYCLUS XXXII. Annus ante Chr. 837.*

### 11. SIUEN VAM, regn.46.

Anno Cycli 10 LI VAM exul moritur. Anno 11 succedit SIUEN VAM filius.

Hic sub *Chao cum & Cheu cum* tutela est per annos 15. Boni Principis specimen praebet, sapientes profugos undique convocat.

Ritum quo prisci Reges agri partem suis manibus colebant, negligit, obnitente frustra Colao.

Hac aetate quatergemini sapientes florent, quos una mater quaterno partu ediderat. Redeunt ad obsequium clientelare Reguli & Dynastae.

Rebelles populos Australes *Hoay ngan & Hu quam* ad leges Sinicas armis adigit.

Regina *Kiam* prudentissima librum scribit de Gynecaei institutione.

### 12. YEU VAM, regn.11.

Anno 56 SIUEN VAM moritur. Anno 57 succedit YEU VAM filius, degener à paternis virtutibus.

Bella cum Tartaro Occidentali infeliciter gerit. Pellicis *Pao su* amore captus Reginam cum filio repudiat.

Anno 57 terraemotu montis *Ki* pars ruit.

[12] *CYCLUS XXXIII. Annus ante Chr.777.*

*Anno Cycli 2 Lunâ 10. Eclipsis Solis.*

### 13. PIM VAM, regn.51.

Anno 7 YEU VAM occiditur in praelio. Anno 8 succedit PIM VAM filius legitimus.

Hic aulam transfert ab Occidente *Xan si* prov. In Orientem prov. *Ho nan*, hinc alienatio animorum.

Reguli *Ho nan, Hu quam & Kiam sy, Xan tum, Xen si, Xan si*, quisque pro suo regno decertat.

Reguli Comitia venire detrectant: sunt qui & ritus à solis Imperatoribus fieri solitos sibi usurpant: quod idem est ac Imperium ambire.

Duce *Ven cum* variis praeliis victi Tartari Occidentales coguntur remeare ad propria.

Ab anno 56 hujus Cycli historiam Regulorum *Chun cieu*, id est *ver & autumnus*, dictam, orditur *Confucius*.

### 14. HUON VAM regn.23.

Anno 58 PIM VAM moritur. Anno 59 succedit HUON VAM nepos, vir bellicosus.

*CYCLUS XXXIV. Annus ante Chr. 717.*

Armis tentavit ad obsequium reducere Regulos, sed frustrà.

*Anno Cycli 9 Lunâ 7 totalis Eclipsis solis.*

Anno 11 HUON VAM in conflictu à rebellium exercitu victus, accepto à tergo vulnere.

### **15. CHUAM VAM, regn.15.**

Anno 21 HUON VAM moritur. Anno 22 succedit CHUAM VAM filius.

Conjuratio detecta.

*Anno 23 Lunâ 10 Eclipsis solis.*

*Quen chu* Colai opera Rex *Ci* ad magnam potentiam excrescit.

### **16. LI VAM, regn.5.**

Anno 36 CHUAM VAM moritur. Anno 37 succedit LI VAM è *Ci* Regis familia, è stirpe Imperatoria.

Principis Regulorum titulus *Pa* assumitur à *Huon cum* regni *Ci* Regulo, deinde ab aliis. pòst 100 annos hic titulus aboletur.

### **17. HOEI VAM, regn.52.**

Anno 41 LI VAM moritur. Anno 42 succedit HOEI VAM filius, ardearum aucupio deditissimus.

*Eodem anno Lunâ 3 Eclipsis Solis.*

Tartari ultra *Xan si* fines debellantur.

Cladem accipit à Regulo regni *Ci*, qui & Regulorum Comitia celebrat tanquam caput ipsorum. Jurerando mutuam obstringunt fidem, hausto de more Galli occisi sanguine.

*Anno 49 Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

*Anno 50 Lunâ 12 Eclipsis Solis.*

*Anno 54 Lunâ 9 Eclipsis Solis.*

Anno 58 Imp.16 anno ante Christum 660 coepit Japonia habere Reges. Hi usque ad annum hujus saeculi 1608 numerantur 108.

*CYCLUS XXXV. Annus ante Chr. 657.*

### **18. SIAM VAM, regn.33.**

*Anno Cycli 3 Lunâ 9 Eclipsis Solis*

Anno 6 HOEI VAM moritur. Anno 7 succedit SIAM VAM filius natu major.

Reguli Comititia frequentant : pristina Imperii norma [13] non nihil revocatur.

*Anno 10 Lunâ 3 Eclipsis Solis.*

*Anno 13 Lunâ 5 Ecilipsis Solis.*

Anno 17 Imperator praelio victus à fratre *Xo tai*, fugit, sed à *Ven cum* Regulo restituitur, interfecto *Xo tai*.

*Anno 32 Lunâ 2 Eclipsis Solis.*

### **19. KIM VAM, regn.6.**

Anno 39 SIAM VAM moritur. Anno 40 succedit KIM VAM filius, sapiens, charus omnibus.

Legati assistunt exequiis patris, sed absque solitis muneribus.

### **20. QUAM VAM, regn. 6.**

Anno 45 KIM VAM moritur. Anno 46 succedit QUAM VAM filius, patri per omnia similis.

*Eodem anno Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

### **21. TIM VAM, regn.21.**

Anno 51 QUAM VAM moritur. Anno 52 succedit TIM VAM frater, pacis studiosus.

Anno 54 mense 9 die 14 natus in prov. *Hu quam Lao kiun* auctor sectae immortalium, quin & Epicuraeae; Deum videtur agnovisse, sectarii ejus dogmata depravarunt, obiit aet.84.

*Anno 57 Lunâ 7 Eclipsis totalis.*

*CYCLUS XXXVI. Annus ante Chr. 597.*

*Anno Cycli 6 Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

Eodem anno ingens terraemotus.

### **22. KIEN VAM, regn.14.**

Anno 12 TIM VAM moritur. Anno 13 succedit KIEN VAM filius.

Circa haec tempora haereses ortae, *Yam & Me*. Hic docet omnes aequaliter amandos, nullo ne parentum quidem discrimine : *Yam* curam sui dumtaxat habendam, ne Regis quidem ratione habitâ.

*Anno 23 Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

*Anno 24 Lunâ 12 Eclipsis Solis.*

*Nankinensis regni in Su cheu initia.*

### **23. LIM VAM, regn. 27.**

Anno 26 KIEN VAM moritur. Anno 27 succedit LIM VAM filius cum barbâ natus.

Multa inter Regulos bella & caedes.

Imperator prudentiâ & virtute pollens rectè administrat Imperium.

*Anno 38 Lunâ 2 Eclipsis Solis.*

*Anno 40 Lunâ 8 Eclipsis Solis.*

*Anno 45 Lunâ 10 Eclipsis Solis.*

Anno 47 Imperatoris verò 21 mense 11 die 4 nascitur in prov. *Xan tum* Confucius Princeps Philosophorum.

*Anno 48 Lunâ 2 Eclipsis Solis.*

*Anno 49 Lunâ 7 totalis Eclipsis Solis.*

Anno 50 moritur *Xo leam he* pater Confucii, Praefectus ditionis *Ceu*.

*Anno 52 Lunâ 10 Eclipsis Solis.*

### **24. KIM VAM, regn.25.**

Anno 53 LIM VAM moritur. Anno 54 succedit KIM VAM filius.

[14] *CYCLUS XXXVII. Annus ante Chr. 537.*

*Anno cycli 3 Lunâ 4 Eclipsis Solis.*

*Anno 11 Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

*Anno 13 Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

*Anno 17 Lunâ 7 Eclipsis Solis.*

***Mem vam, regn. Parucis mens.***

### **25. KIM VAM, regn.44.**

Anno 18 KIM VAM moritur, succedit minimus filius *Mem vam*, sed mox occisus.

Anno 19 succedit vi armorum KIM VAM filius secundus.



*Anno 20 Lunâ 5 Eclipsis Solis.*

*Anno 27 Lunâ 12 Eclipsis Solis.*

*Anno 33 Lunâ 3 Eclipsis Solis.*

*Confucius* discipulorum numerat tria millia, hos inter 72 selectiores, & hos inter decem selectissimos.

Anno 38 *Confucius* Praefectum agit regni patri *Lu*, reformat omnia juxta priscorum regulam.

*Anno 40 Lunâ 11 Eclipsis Solis.*

*Anno 43 Lunâ 8 Eclipsis Solis.*

Inter Regulos R. *V* (modò *Nankim* australior) & R. *Yue* (modo *Che kiam*) ardet bellum: *V* Regulus occisus.

Anno 52 à Regulo *Sum* extincta familia *çao*, quae sub 25 Regulis steterat annis 636.

An. 57 Unicornis in saltu regio apparet.

Hic terminat *Confucius* historiam bellorum inter Regulos per 200 an.

*Eodem anno 57 Lunâ 5 Eclipsis Solis.*

Anno 59 Imperatoris 41 Lun. 4 moritur *Confucius* Philosophus aet. 73.

Anno 60 à Regulo *Zu* extinguitur regnum & familia *Chin*, quae numeravit 24 Principes per an. 645.

*CYCLUS XXXVIII. Annus ante Chr. 477.*

## **26. YUEN VAM, regn.7.**

Anno Cycli 2 KIM VAM moritur. Anno 3 succedit YUEN VAM filius, pius & charus.

Proscribit Regem *Lu* ad Comitia venire detrectatem.

A Regulo *Yue* extinguitur regnum *V*, quod sub 20 Regulis steterat 650 annis.

## **27. CHIM TIM VAM, regn.28.**

Anno 9 YUEN VAM moritur. Anno 10 succedit CHIN TIM VAM filius, Princeps castus dictus, quod mortua conjuge coelebs manserit.

Anno 31 à Regulo regni *Zu* extincta dynastia *çai*, quae sub 25 Principibus steterat annis 676.

*Anno 35 totalis Eclipsis Solis sic ut stellae apparerent.*

## **28. CAO VAM, regn.15.**

Anno 37 moritur CHIN TIM VAM tribus relictis filiis. Anno 24 succedit

primogenitus *Ngan*, qui tertio mense à fratre *Su* occiditur, & hic quinto mense occiditur à fratre minore CAO VAM, qui succedit in Imperio.

Fratrem alterum creat Dynastam in prov. *Ho nan*, nomen ei est *Huon cum*, cujus abnepos erit hujus familiae *Cheu* postremus Imperator.

*Anno 43 Lunâ 6 Eclipsis Solis.*

*Anno 45 Cometes apparet.*

## **29. GUEI LIE VAM, regn.24.**

Anno 52 CAO VAM moritur. Anno 53 succedit GUEI LIE VAM filius.

Ab hoc tempore rursus bella inter Regulos per 300 [15] ferè annos ; *Chen que* dicta, id est, bellantia regna.

Hic & sequentes nomine tenus erant Imperatores, paulatim & majestate & terris exuti.

*CYCLUS XXXIX. Annus ante Chr.417.*

*Anno Cycli 8 Eclipsis Solis.*

Dicuntur 9 vasa Imperialia olim ab YU primae familiae Conditore conflata spontè contremuisse.

Regni *Chao* Regulus bello victum Ducem *Chi siam* occidit, ejus cranium pro cyatho confici jubet.

## **30. NGAN VAM, regn.26.**

Anno 16 GUEI LIE VAM moritur. Anno 17 succedit NGAN VAM filius.

*Eodem anno 17 Eclipsis Solis.*

Regulo regni *Guei* glorianti de regno suo natura munitissimo *V ki* Colaui respondit; firmitatem in virtute, non in praeruptis saxis constituendam.

*Anno 36 totalis Eclipsis Solis.*

Anno 42 NGAN VAM moritur.

Eodem an. 42 à tribus Regulis *Han, Chao, Guei* extincta dynastia *Cin*, quae sub 38 Principibus steterat an. 741.

## **31. LIE VAM, regn.7.**

Anno 43 succedit LIE VAM filius; huic potentissimus Regulus *Ci* solus defert obsequium clientelare.

Eodem anno à *Han* Regulo extinguitur regnum *Chim*, quod sub 23 Dynastis steterat

annis 432.

*Eodem anno 43 Eclipsis Solis.*

Anno 46 nascitur *Memcius* Philosophus secundus.

*Anno 49 Eclipsis Solis.*

### **32. HIEN VAM, regn.48.**

Anno 49 LIE VAM moritur. Anno 49 succedit HIEN VAM frater minor. à nullo Regulorum ferè agnoscitur.

*Anno 57 Cometes in Occidente.*

*CYCLUS XL. Annus ante Chr. 357.*

HIEN VAM cùm sciret vasa 9 Imperialia ambiri seu sacra Imperii pignora per 1970 annos conservata, jussit demergi in lacu *Su* profundissimo, unde nulla arte extrahi potuere.

Anno 22 *Memcius* ad Regem *Guei* pergit, & multò pòst ad *Ci* Regem, de recta ubique Imperii administratione disserens : numeravit 17. discipulos. Extant septem ejus libri morales.

### **33. XIN CIN VAM, regn.6.**

Anno 37 HIEN VAM moritur. Anno 38 succedit XIN CIN VAM filius, ignavus & socors.

*Hiao cum* Regulus regni *Cin* praeclara administratione omnes excellit, qua ratione ad Imperium viam sternit.

Anno 42 *Cin* familiae potentia adeo crevit, ut quinque Regulorum exercitus penitus deleverit.

### **34. NAN VAM, reg.59.**

Anno 43 XIN CIN VAM moritur. Anno 44 succedit NAN VAM filius, princeps probus & modestus.

Regni *Zu Cola* *Kiue yen* vir rectus, invidia aemulorum dejectus, se in fluvium *Colo* praecipitat. Ejus desiderium produnt Sinenses, dum ludicris navigiis toto imperio quotannis die 5 Lunae 5 mersum quaeritant.

*Annis 53 & 55 Cometes.*

*Anno 57 totalis Eclipsis Solis.*

[16] *CYCLUS XLI. Annus anteChr. 297.*

Anno Cycli 9 moritur *Memcius* secundus Philosophus, aetatis 84 hujus posteritas uti & Confucii usque hodie perseverat, gaudetque privilegiis regiis in aula.

Anno 12 à Regulis *Ci, Zu, Guei* extinguitur regnum *Sum*, quod sub 32 Dynastis steterat per annos 381.

Subactis variis regnis duo praecipua *Cin* & *Ci* inter se depugnant pro Imperio toto.

*Chao siam* Regulus regni *Cin* Imperatorio ritu sacrificat *Xam ti* seu Deo, quod idem est ac Imperium ambire.

A regni *Zu* Regulo extinguitur regnum *Lu*, quod sub 34 Regulis steterat. à *Cin* Regulo extinguitur regnum *Guei*, quod sub 37 Principibus steterat.

*Cin* Regulus duos potentissimos Reges occisis 60 millibus delet.

Anno 42 *NAN VAM* victus, se cum copiis dedit clientis in morem; in ordinem redactus, anno pòst in *Xen si* prov. obiit.

### **35. CHEU KIUN, regn.7.**

Anno 43 subrogatus *CHEU KIUN cao vam* 31 Imperatoris ex fratre pronepos, exigui territorii dominus, qui re desperata se abdicat, & vitam privatam inglorius duxit. Cum hoc familia *Cheu* extincta.

## **Quarta Familia.**

### **1. CHUAN SIAM VAM, regn.3**

Anno 49 *CHUAM SIAM VAM* filius *Hiao ven vam* (qui triduo dumtaxat imperitaverat) fundat familiam *Cin* dictam, quae tenuit annos 43 sub 4 Imperatoribus.

*Anno 50 Eclipsis Solis.*

Anno 51 *CHUAM SIAM VAM* moritur 37 & ultimus familiae *Cin*, & regni, quod sub Reguli titulo administraverat.

### **2. XI HOAM TI, regn.37.**

Anno 52 succedit *XI HOAM TI* filius adoptivus, duo decimo à conceptu mense natus, bellicosus, crudelis, moneri impatiens ; unde 20 & amplius Magnates neci dedit.

Aulam in *Si ngan* Metrop. prov. *Xen si* constituit.

Principium anni statuit primam Lunârem in Sagittario conjunctionem.

Titulum *HOAM TI* (qui hodieque viget) instituit, estque eadem vox quâ totius Monarchiae fundator est usus, at non idem character; nam *Hoam* littera ibi *Flavum*, hic

verò *magnificum & augustum* significat.

*CYCLUS XLII. Annus ante Chr. 237.*

XI HOAM TI extinctis sex regnis & horum familiis *Han, Guei, Zu, Yen, Chao, Ci*, Dynastas omnes cum titulis abrogat. Ingentem classem *Bengalam* usque expedit, aliam classem cum trecentis puellis ad mare eorum mittit, ut medicinam immortalitatis reportent : tempestate dissipatur classis, aliis in aliis insulas distractis. In 36 provincias Imperium distribuit ; fundit ex aere 12 heroum statuas staturâ giganteâ, quarum singulae 120 mille libris constant.

Anno Imperii 24 murum celeberrimum 400 & ultra leucarum extruit contra Tartarorum irruptiones.

[17] Anno 25 libros omnes praeter medicos & judicarios cremari jubet. Anno 26 plurimos litteratos vivos sepeliri mandat.

Anno 28 XI HOAM TI lustrans Orientem moritur. à morte varia rursus regna insurgunt.

### **3. UL XI, regn.3.**

Anno 29 succedit UL XI filius secundus, cùm tamen pater primogenitum designasset, qui à fratre jussus sibi vitam adimere.

*Lieu pam* gregarius miles copias cogit. Physionomus Imperium ei prognosticatur, traditâ in conjugem filiâ tyrannicè postea imperaturâ.

### **1. IM VAM, regn. 45 diebus.**

Anno 31 UL XI occiditur aet. 24 succedit IM VAM è fratre nepos, qui occiso patricida post 45 dies victori se tradit *Lieu pam*, cum quo familia *Cin* extinguitur.

## **Quinta Familia.**

### **1. CAO ZU, regn.12.**

Anno 32 CAO ZU, aliàs *Lieu pam*, fundat quintam familiam *Han* dictam, quae tenuit annis 426 sub 25 Imperatoribus. 17 praellis victus, tandem victor evasit.

Aulam habuit in *Xen si*, seu Occidente, 230 annis, sub 13 Impp. Deinde transtulit in *Ho nan*, seu Orientem, per annos 196 sub 12 Impp.

*Anno 34 Lunâ 10 aut 12 Eclipsis Solis.*

*Anno 39 Lunâe 6 die ultimo totalis Eclipsis Solis.*

## 2. HOEI TI, regn.7.

Anno 43 CAO ZU moritur aet.52. Anno 44 succedit HOEI TI filius, pius, pacificus, obediens, quod *Hiao* sonat. Matri regimen imprudens committit, quae proximè per nefas imperat.

*Anno 50 Lunâ 1 Eclipsis Solis.*

## LIU HEU intrusa, regn.8.

Eodem anno 50 HOEI TI moritur aet. 50. Anno 51 succedit contra jus regum LIU HEU Physionomi filia, crudelis & versipellis. Consanguineos omnes dynastiis & praefecturis donat.

*Anno 52 Lunâ 6 die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 57 Lunâ 1 totalis Eclipsis Solis.*

Anno 58 LIU HEU moritur. Mox tota ejus familia in convivio ludo gladiatorio subornato funditus deletur.

## 3. VEN TI, regn. 23.

Anno 59 VEN TI filius Fundatoris è privato suo regno ad imperium evehitur.

*Anno 60 Lunâ 11 die ult. Eclipsis Solis.*

*CYCLUS XLIII. Annus ante Chr. 177.*

*Anno Cycli 1 Lunâ 10 die ult. Eclipsis Solis.*

VEN TI frugalis ac modestus, victu, vestitu, strato humili contentus: in Gynecaeo ad exemplum Reginae nec acu pictis vestibus & humum verrentibus uti fas est. Cognomenta annis Imperii variis varia primus tribuit, qui mos hodieque viget. In publica calamitate de culpis suis commoneri vult.

In sacrificiis coelo factis preces ac vota primo pro populi, deinde pro sua unius incolumitate fundit. Pium priscorum morem agri regiis manibus colendi renovat. Salem publici juris facit. Sub hoc duae provinciae *Quam tum & Quam si* ultro se subjecere virtuti legibusque Sinicis. Papyrus item hoc tempore inventa. [18] Monetam cupream in solâ aulâ cudi solitam, ubique cudi permittit.

*Anno 6 Cometes ab ortu.*

*Anno 18 Lunâ 4 die ult. Eclipsis Solis.*

## 4. KIM TI, regn.17.

Anno 21 VEN TI moritur aet.46. Anno 22 succedit KIM TI filius, sincerus, clemens, mitigat suppliciorum acerbitatem. Primus filiam Tartaro in matrimonium tradit. è decimo hujus filio exurget 16 hujus familiae Imperator. Tres Regulos debellat. Septem Regulorum exercitus uno conflictu vincit.

*Anno 24 Cometes ab Occidente.*

*Anno 25 Lunâ 10 die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 28 Lunâ 11 Eclipsis Solis.*

*Annis 29 & 36 terraemotus.*

*Anno 30 Lunâ 10 Eclipsis Solis*

*Anno 32 Lunâ 10 Eclipsis Solis*

*Anno 35 Lunâ 7 die ult. Eclipsis Solis.*

## **5. VU TI, regn.54.**

Anno 37 KIM TI moritur aet.48. Anno 38 succedit VU TI filius, bello & litteris clarus : fragmenta & reliquias incendii librorum undique colligi jubet, & in ordinem redigi quinque libros classicos. Immortalis vitae potioni nimium credulus, serò poenituit.

Tartaros multis cladibus quater afficit, ultra murum & desertum *Lop* arma proferens usque ad vicina Indiae regna *Pegu*, Siamum, Cambojiam, Bengalam, &c. classes etiam ad insulas eoi maris. Vini fontes populo exhilarando erigi jubet : statuit ut Reguli inter filios aequaliter terras suas distribuere ; quòd si prole caruerint, ditiones Imperio restitui.

Filium Regis Tartarorum, qui in aulam venerat, stabuli Praefectum creat, deinde militiae Ducem ; nomine novo *Kin* illum impertit, quod nomen Tartari Orientalis familia Regia, quae dum scribimus, Chinae imperitat, conservat. Occidentalis barbari statuam ingentem auream offerunt Imperatori.

*Anno 59 stella instar Solis apparet.*

*Anno 43 magnus Cometes ab ortu.*

## *CYCLUS XLIV. Annus ante Chr.117.*

Idem superstitionibus & spiritibus immortalibus mirè addictus, quibus proinde & templa erigit.

Magos qui eum dementarant, promiserantque uxorem sibi charissimam à morte videndam exhibere, elusus occidi jubet : alios qui philtis & maleficiis mulieres in amores illicitos provocabant, aulâ & Imperio exesse jussit.

Filium è concubina sibi prae caeteris charum, quòd 14 à conceptu mense natus esset,

Imperatorem octennem designat, matre mori jussa, ne, ut aiebat, impotentia muliebri perturbaretur rursus Imperium.

Annis 8, 9, 10, & 11 ingens sterilitas.

Anno 14 principium anni ad pristinam normam revocat, quae hodieque perseverat, & Februario respondet.

[19]

## **6. CHAO TI, regn. 13.**

Anno 31 VU TI moritur aet.71. Anno 32 succedit CHAO TI filius natu minor, super aetatem prudens, erga egentem populum munificus, tributa remittit, pacem cum Tartaris inicit, amnistiam more veteri indicit.

## **7. SIVEN TI, regn. 25.**

Anno 44 CHAO TI moritur aet.22. Anno 45 succedit SIVEN TI nepos HIAO TI repudiato demortui patruo, quod crapulae & veneri deditus esset, & ad suam dynastiam remisso.

SIUEN TI Princeps placidae indolis & piae erga omnes, praecipuè pauperes.

Bis à morte decreta servatus à carceris custode, quem deinde è carcere ad solium revectorum creat. Indiae regna ab VU TI debellata rebellant : dissuadetur contra eos bellum velut res parvi momenti & populo onerosa.

Anno 48 Lunâ 4 terraemotus.

*CYCLUS XLV. Annus ante Chr.57.*

Tartarus Rex *Tan yu* legationem mittit, quâ se clientem agnoscit.

*Anno Cycli 4 Lun.4 Eclipsis Solis.*

## **8. YUEN TI, regn.16.**

Anno 9 SIVEN TI moritur aet.43. Anno 10 succedit YUEN TI filius, moderatus, frugalis: splendorem sumptusque immodicos resecat.

Belli Duces amicitiae jure violato occidunt duos Tartariae Reges. Tartarus ultionem parat, sed datâ in uxorem è regio sanguine puellâ reconciliatur.

*Anno 18 Lun. 6 die ult. Eclipsis Solis.*

Anno 21 & 23 terraemotus.

*Anno 24 Lun. 6 die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 26 Lun. 12 Eclipsis Solis & terraemotus.*



## 9. CHIM TI, regn.26.

Anno 26 YUEN TI moritur aet. 43. Anno 27 succedit CHIM TI filius, Princeps veneri & vino deditus: repudiat Imperatricem, Comoedi filia saltatrice assumptâ. Monentes de lege regni violata necari jubet.

*Leam* familiam è qua erat Regina mater, ad summas praefecturas evehit. Ab hac deinde secuta plurima in Imperio mala, & caedes innocentum. à *Tan yu* Rege Tartaro invisitur.

*Anno 28 Lun. 12 Eclipsis Solis & terraemotus.*

*Anno 30 Lun. 4 die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 32 Lun. 8 Eclipsis Solis.*

*Anno 34 Lun.2 Eclipsis Solis.*

*Anno 42 Lun. 9 die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 44 Lun. 1 die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 46 Cometes ad ortum.*

Anno 51 CHIM TI derepente moritur aet. 45 nullo relicto haerede.

*Eodem anno, terraemotus per 30 & amplius urbes.*

## 10. HIAO NGAI TI, regn.6.

Anno 52 succedit HIAO NGAI TI, id est, obediens & misericors, decessoris ex fratre nepos.

Anno Imperii quinto vox insolita totâ aulâ personat.

Excipitur Rex Tartarorum *Tan yu* regiâ pompâ.

[20] *Anno 56 Lun.1 die 1 Sol deficit.*

Anno 57 NGAI TI moritur Imperii anno sexto, Lunâ 6 aetat.25.

*Lun.5 ejusdem anni Solis Eclipsis.*

Eodem anno SALVATOR MUNDI Lunâ 11 quâ regnabat successor dictus *Pacificus*, etsi more Sinico annus 6 totus attribuat decessori.

## 11. HIAO PIM TI, regn.13.

Anno 58 succedit HIAO PIM TI, id est obediens, pacificus, ex YUEN TI nepos novennis. Hic idem annus 58 hujus Cycli 45 primus est à Christo nato.

[1]

TABULA GENEALOGICA TRIUM  
FAMILIARUM IMPERIALIM  
MONARCHIAE SINICAE

À HOAM TI primo gentis Imperatore  
per 86. successors. & annos 2457. ante Christum.

E Sinico Latinè exhibita à R. P. PHILIPPO COUPLET

Belgâ, Soc, Jesu, Sinicae Missionis

In Urbem Procuratore.



[3]

### Nota in prima Tabulam.


- A. HOAM TI primus Imperator, à quo perpetua haec series genealogic atrium familiarum Principum ducit exordium Coepit imperare. ante Christum 2697. imperavit an. 100. Ex hujus quoque stirpe 1500. ferè pòst annis à VU VAM vreati sunt Reguli regni *Cho*, in Prov. *Xan tum* propagati per 700. circiter annos.
- B. *Cham y* filius HOAM TI Hujus filios ac nepotes TI CO quartus Imper. donavit dictionibus regni *Xo*, nunc prov. *Su chuen*.
- C. *Hoentun* filius HOAM TI, vir improbus & ferox, cujus filium aut nepotem certè, ejusdem cognomenti, extinxit XUN sextus Imperator.
- D. *Pa cai*, hoc est, octo concordés, filii CHUEN HIO, qui imperante XUN praecipuis muneribus perfuncti sunt.
- E. *Kiun ki* filius XAO HAO, vir improbus : hujus stirpem extinxit XUN Imper.
- F. *Hi, siu, Cai, Chum*, quatuor filii Imperatoris XAO HAO munus publicum obierunt imperante CHUEN HIO.
- G. *Pa yuen*, hoc est, octo probi, filii TI CO, qui imperante XUN inter Primates Imperii recensentur.
- H. *Heu cie* filius TI CO, tertiae familiae Imperialis *Cheu* truncus : huic à XUN Imp. Demandata rei agrariae cura. Creatus fuit Regulus regni *Tai* in prov. *Xen si*.
- I. YAO quintus Imperator & unà Legislator, fuit filius TI CO : hujus deinde posterì 1200. ferè pòst annis à VU VAM creatoi Reguli regni *Ki* in prov. *Pe kim*, & 700. ferè pòst annis extincti.
- K. *Chi* filius TI CO, mortuo patre imperat an. 8. sed quia veneri & luxui deditus, à Regulis ejectus, substitute YAO fratre. Non ponitur in serie Imperatorum à scriptoribus.
- L. *Sie* filius TI CO, secundae familiae Imperialis *Xam* truncus. Imperantibus YAO & XUN praecipuum magistratum gessit, fonatus ditione *Xam* dicta; quod nomen ad Imperatoriam familiam transiit.
- M. *Cu seu*, pater XUN sexti Imperatoris, vir improbus.
- N. *Lao pum*, aliàs *Cien kien*, cujus meminit Confucius, filius erat Hoei, pronepos Imperatoris CHUEN HIO. Magistratum gessit sub variis Imperatoribus. Vixisse traditur 700. annis, filios genuisse 54. Sepultus in *Mui cheu* oppido prov. *Su chuen*, aut *Siu cheu*, prov. *Nan kim*.
- O. *Tan chu* filius YAO Imper. Ob ravam indolem à patre exclusus à successione.
- P. *Ho xo, Ho chum, Hi xo, Hi chum*, quatuor filii YAO Imperatoris, per singulas anni tempestates Praefecturam gereret verno tempore, alter aestivo, tertius autumnali, quartus denique brumali.
- Q. *Siam* filius *Cu seu*, frater XUN ex noverca. Vitae fratris quondam insidiatus, ab

eodem tamen deinde regni potito donatus ampla ditione.

- R. XUN sextus Imperator & unà Legislator. Hujus posterì 1100. ferè pòst annis à VU VAM creati Reguli regni *Chin* in prov. *Ho nan*.
- S. *Quen* terii Imp. CHUEN HIO è quintâ (ut aliqui scribunt) stirpe nepos. Pater fuit YU primae familiae conditoris, vir improbus, quique ob expensas publicas in aquarum eluvionibus aliò derivandis inutiliter factas à XUN Imperatore interfectus est.
- T. *Xam Kiun* filius Xun, à successione exclusus à patre inutilis ac degener.
- W. YU seu *Ta yu*, filius *Quen*, è quinta stirpe nepos CHUEN HIO tertii Imperatoris. Fuit primae familiae *Hia* dictae Princeps & Conductor : quae familia per annos 458. sub 17. Imperatoribus stetit. Posterì illius à CHIM TAM sequentis familiae Conditore create Reguli regni *ki* in prov. *Ho nan*, propagati per 700. ferè annos.
- X. *Vu yu* & *kia lie*, filii XAO CAM, creati Dynastae, hic ditionis *Hoèi*, ille ditionis *Vm*.
- Y. KIE ultimus Imperator primae familiae *Hia*, quam justitiâ & pietate inchoatam, tyrannide & libidine pessumdedit. Huic successit sedunda *Xam* familia.

Secundæ Familæ Imperialis *Xam* Tabula.

4



Linea tertiz Familæ Imperialis.

[5]

### Nota in sedundam Tabulam.


- K. *Sie* filius est TI CO quarti Imperatoris, & HOAM TI è quarta stirpe nepos. Ab hujus stirpe continuator series secundae familiae Imperialis.
- L. CHIM TAM Princeps & Conditor secundae familiae *Xam* dictae, & deinde Yn quae per annos 644. à 28. Imperatoribus propagate est.
- M. *Tai tim* primogenitus CHIM TAM, patre superstite obit, relicto haerede filio.
- N. *Ki çu* filius TAI TIM 26. Imperatoris, dimissus è carcere, à VU VAM Imperatore creatur Rex Coreae, planè dominus & juris sui, & obsequio clientari liber.
- O. *Pi can* filius TAI TIM Imperatoris, à CHEU postremo Imperatore qui monentem non ferebat, crudeliter interemptus.
- P. *Vi çu* filius primogenitus TI YE Imperatoris, imperante tyranno *Cheu* in sylvas fugerat : unde revocatur, à CHIM VAM tertiae familiae secundo Imperatore creatur Regulus regni *Sum* in prov. *Ho nan*, exemptus onere clientelari, & ritu familiae suae proprio regere permissus. Porrò familia haec filio praematurè morto, & ad *Vi chum* fratrem translate, per 32. Regulos propagata, tandem fuit extincta à Dynastâ regni *Ci*. Regni autem *Ci* caput & princeps deinde à VU VAM creatus fuit *Tai cum vam*. Propagata hujus familia à 28. Regulis, donec à Colao *Tien ho* dicto extincta. *Tien ho* deinde creatus Regulus ejusdem regni *Ci* à familiae *Cheu* 30 imperatore NGAN VAM. Haec fuit stirps propagate per 7. Regulos, ac demum à regulo regni *Cin* extincta.
- Q. CHEU filius tertius TI YE Imperatoris : ob cujus tyrannidem extincta familia *Xam*, succedente tertiâ *Cheu* familiâ.
- R. *Vi chum*, aliàs *Chum yen*, secundus filius TI YE penultimi Imperatoris : in regno fratrem *Sum* degit, ubi ejus filii & nepots publicis perfuncti muneribus. Ab hoc continuatam describunt stirpem *confucii* Sinarum Philosophi.
- S. *Vu hem* filius *Cheu* ultimi ex familia *Xam* Imperatoris, cùm temere multa spargeret in vulgus contra CHIM VAM sedundum novae jam familiae *Cheu* Imperatorem, occisus fuit à *Cheu cum*.
- K. *Cum fu kia* filius *Chim cao fu* ; à quo familiae *Confucii* nomen *Cum* inditum, quod hodieque in familiâ, conservatur.
- L. *Xo leam he*, filius *Pe hia*, Praefectus ditionis *Ceu* dictae. Hic cùm novem filias, marem nullum genuisset, jam septuagenarius puellam *Chim* duxit, oriundam ex familia *Yen*, quae tunc praecipuae nobilitatis erat; & quamvis obscurior ipse censeretur, quod tamen constaret, stirpem ex Imperatoris sanguine quamvis remotam ducere, expetitis nuptiis potitus est: ex his natus est *Confucius*.
- M. *Cum fu çu*, seu *Confucius*, filius *Xo leam he*, natus an. 12. *Lim vam* Imperatoris, ante Christum 551. vir, uti morali nobilitate, quae à virtute litterisque petitur, inter

Sinas nobilis ; ita sanguinis quoque nobilitate nemini fortassis aliarum Gentium secundus. Praeterquam enim quòd à HOAM TI primo gentis Imperatore per rectam lineam descendat, ipsiusmet quoque filii & nepotes per annos bis mille ducentos & amplius splendorem domus suae conservant in hodiernum usque diem, quo ejus nepos ordine 67. (aut fortè 68.) cum titulo *Que cum*, hoc est, Ducis, solus è Sinis à tributo liber residet in natali urbe *Kio feu* in prov. *Xan tum*, propriâ & perantiquâ familiae istius sede. Itaque ab Imperatore HOAM TI supputando annos usque ad natum *Confucium*, sunt 2146. his si addas 2237. Qui sunt à nato *Confucio* usque ad saeculi hujus 1683. fatendum erit unam eandemque stirpem annis omnino 4383. pr filios & nepotes numquam interrupta serie fuisse propagatam, siquidem Sinensium fasitis fides adhibenda.

- N. *Pe yu* filius unicus Confucii obiit aetatis suae anno 50. cùm pater ageret aetatis annum 69.
- O. *çu su* filius *Pe yu*, magnis in Imperio perfunctus muneribus, scripsit librum *Chum yum*, seu de medio, ex mente avi sui *Confucii*, cujus adeo censi potest interpres. Magister & ipse sedundi Sinarum Philosophi, cui *Memcius* est nomen ; cujus posteritas tametsi in ortu suo obscura, tamen huc usque perseverat, & in aulâ suis quoque honorum titulis ab Imperatoribus deoratur.



Tertia Familia Imperialis Cben Tabula.



## Nota in teriam Tabulam.

- K. *Heu cie* quarti Monarchiae Imperatoris TI CO filius, & tertiae familiae Cheu deinde dictae truncus. Huic à XUN demandata rei atratie cura & ob merita creates Dynastia ditionis Tai in prov. *Xen si*. Hujus stirps sub duabus familiis regiis *Hia* & *Xam* per 40 generationes continuata recensetur : hic verò eorum ferè nomina qui re memoriâ dignam reliquerunt, à scriptoribus afferuntur, etsi recenseantur fortè in aliis libris qui hic desiderantur.
- L. *Pi co* è stirpe *Heu cie* magistratum gessit sub primâ *Hia* familiâ. Cùm autem videret leges & jura regni pessumdari, & familiam regiam ad interitum verger, deposito Magistratu clam confugit ad terras barbariorum, ibique rem agrariam (antiquum & proprium familiae munus) coepit instituere, qua re omnium animos sibi devinxit. Ab hoc rursus propagate familia per filios & nepotes usque ad *Cum lieu*.
- M. *Cum lieu* cùm ditionem barbaris cinctam obtineret, sic tamen suos instituit, ut vicinis quoque amoris esset ac venerationis; unde crescit in dies populi multitudine, in amplam ditionem *Pin*, nunc *Pin cheu* dictam, in prov. *Xen si* esse contulit anno 22. Imperatoris KIE, qui è prima familia *Hia* 17. fuit & postremus. à *Cum lieu* verò usque ad *Tai vam* recensentur 9. generationes.
- N. *Tai vam* seu *Cu cum*, collapsum non nihil familiae statum restituit, & debellatis deinde barbaris in loco *Ki xan* ( ubi modò est *Fu ciam* urbs prov. *Xen si* ) ibidem stabilem fixit sedem, & novum familiae suae nomen *Cheu* indidit, quod idem nomen perseveravit deinde in familia Imperiali. Facta est autem ea ex *Pin* ditione in *Ki xan* transmigratione anno 26 SIAO YE Imperatoris decimi noni ex familia *Xam* secunda.
- O. *Tai pe*, & *Yu chum*, aliàs *Chum yum*, (laudati ambo à *Confucio*) filii *Tai vam* majores nati, cùm scirent minorem natu fratrem *Ki lie* à patre amari impensius, eique destinari regnum, in utriusque gratiam spontanei exules barbarorum Australium ditiones ultrò petunt : quos ut celent genus suum tonsa caesarie, nec non maculis servilibusque notis corpus suum deformant: *Tai pe* amen à barbaris illis electus fuit *Regulus* regni *V*, fundavitque nobilem urbem *Su cheu*, ubi ejus sepulchrum hodieque extat, in prov. *Nan kim*. Scribunt item à *VU VAM* creatum *Regulum* ejusdem regni *V* pronepotem hujus *Chum yum*.
- P. *Ki lie*, seu *Vam hi*, patri *Tai vam* succedit in ditiones. Insigni pietate & justitia *Regulorum* animos sibi devinxit. Barbaros *Pekinenses* jussu *TAI TIM* & *TI YE* duorum Imperatorum feliciter domuit. Obiit imperantis *TI YE* anno septimo, relicto filio *Ven vam* 47. annos tunc agente.
- Q. *Ven vam*, filius *Ki lie*. Imperiali familia *Xam* in ruinam vergente, 40. *Reguli* se illi subdunt. è tribus Imperii partibus dua benevolentia & veneratione virtutum

devinctas sibi habet. Non ponitur tamen in serie Imperatorum. Reliquit filios 12 quos inter VU VAM tertiae familiae *Cheu* fundator.

- R. VU VAM filius praepotentis Regis *Ven vam*, ipse Princeps & Conditor ampliffimae *Cheu* familiae, quae per annos 873. à 35. Imperatoribus propagata est. Hic Imperator fratribus suis varia contulit regna : filios quoque suos ac nepotes, prout quisque virtute caeteris praecebat, dignitate quoque voluit praeellere.
- S. *Pe ye cao*, filius *Ven vam* natu maximus, ex optimatibus Imperatoris CHEU, qui postremus fuit familiae *Xam*. Hic eundem *Pe ye cao* (patre in vinculis detento) interfecit, & carnes interfecti frixas apteque conditas *Ven vam* patri ceu edulium è mensa Regia offerri jussit, addends, siquidem ipse vir sanctus esset, jam proculdubio praesciturum cujusmodi edulium istud esset.
- A. *çao vo chin* filius *Ven vam* praematurè obiit.
- B. *Pie cum cao* filius *Ven vam*, ex optimatibus Imperii unus ; creatus ab fratre suo VU VAM Regulus regni *Pu*, quae nunc est Metropolis prov. *Xen si*, dicta *Si ngan*.
- C. *Cam xo* filius *Ven vam*, creatus à fratre VU VAM Regulus regni *Guei* in prov. *Ho nan*. Post 800. & amplius an extincta ejus familia à Regulo R Cin post quam fuerat per 37. Regulos propagata.
- D. [8] *Xo sien* filius *Ven vam*, à fratre VU VAM creatus Regulus regni *Quon* in prov. *Ho nan* : sed mox imperante CHIM VAM cùm rebellionem mliretur, à *Cheu cum* fratre occisus est.
- E. *Xo chu* filius *Ven vam* creatus à fratre VU VAM Regulus regni *Ho* in prov. *Xen si*, nunc urbs *Pim yam* : quia verò imperante CHIM VAM visus est rebellinem moliri, in ordinem plebeiorum redactus fuit à *Cheu cum* : ejus tamen familiae Reguli per 700 ferè annos propagati sunt ; & tandem extincti à Regulis regnorum *Cin* & *çu*.
- F. *Chao cum xe* filius *Ven vam*, ex Imperii primatibus unus, & à fratre VU VAM creatus Regulus regni *Yen* nunc prov. *Pe kim*. Per 28. Regulos propagata hujus familia, demum à Regulo regni *Cin* extincta est.
- G. *Cheu cum* filius *Ven vam*, omnium scriptorum *Confucii* imprimis encomiis celeratus, à fratre suo VU VAM creatus primus Regulus regni *Lu* nunc prov. *Xan tum*.
- H. *Xo vu* filius *Ven vam*, à fratre VU VAM creatus Regulus regni *Chim* in prov. *Xan tum*, quod deinde collapsum Imperator SIUEN VAM, hujus familiae *Cheu* undecimus, dedit fratri suo *Chim* dicto.
- I. *Xo chin* filius *Ven vam*, à fratre VU VAM creatus Regulus regni *çao* in prov. *Xan tum*. Hujus familia propagata fuit per 25 Regulos, donec à Regulo regni *Sum* extincta.
- J. *Xo tu* filius *Ven vam*, creatus Regulus regni *çai* in prov. *Ho nan*, at quia suspectus rebellionis contra CHIM VAM, ejectus fuit à *Cheu cum* : familia tamen ejus per 22 Regulos propagata fuit, ac tandem à Regulo regni *çu* extincta.
- V. *Pe kin* filius *Cheu cum*, revocato à CHIM VAM in aulam patre, huic in regnum *Lu* successit ; & cum perpetua deinde serie 32. Reguli consecuti, donec à *çu* regni

Regulo Cao lie vam dicto extincta est haec familia. Porrò à CHIM VAM creatus erat Hium ye caput & Princeps regni *çu*. Propagata hujus familia per 25. Regulos, ac demum extincta à Regulo regni Cin.

- X. *Xo yu* filius secundus CHIM VAM, à quo creatus Regulus regni *Tam*, ac deinde regni Cin dicti, in quo familia propagata fuit à 29. Regulis, donec à tribus Regulis regnorum *Han*, *Guei* & *Chao* fuit extincta. Haec autem tria regna à GUEI LIE VAM 29. Imperatore familiae *Cheu* inter Optimates distributa sunt : & demum à Regulo regni *Cin* extincta : postquam regnum *Han* numeraverat 10. Regulos, regnum *Guei* octo, & regnum *Chao* 12. Hujus postremi regni olim à MO VAM 5. Imperatore familiae *Cheu* reatus Regulus *çao fu* fuerat.
- Y. *Chin* filius LI VAM, à fratre SIUEN VAM creatus Regulus regni ejusdem cognomenti *Chim* : hujus familia per 22. Regulos propagata, extincta tandem fuit à Regulo regni. *Han*.
- Z. *Pe fo* filius Imp. YEU VAM ex *Pao su* pellice. Hunc destinaverat pater Imperii haerem ; sed occiso patre & pellice, successit legitimus filius PIM VAM.
- AA. *Ke* patre mortuo regnum affectat : detect conjuratione fugit.
- BB. *çu tui*, patre mortuo regnum affectat; sed tandem cum rebellibus occisus.
- CC. *Xo tai* filius secundus HOEI VAM, quem pater Imperii haerem destinat, quo tamen potiri non potest, Regulis jurejurando fidem obstringentibus majori natu SIAM VAM postea dicto : itaque post multa bella tandem occiditur à *Ven cum* Regulo regni *Cin*.
- DD. *çu xim*, *Mem*, & *çu chao* filii Imper. KIM VAM praematurè obierunt.
- EE. *Ngai vam* filius CHIM TIM VAM, patre sub initium anni mortuo imperare vix cooperat, cùm tertio mense à fratre interfectus est.
- FF. *Su vam* filius item CHIM TIM VAM, & fratricida, usurpavit Imperium, quod quinto post mense amisit, interfectus à minore fratre CAO VAM, qui 15. deinde annis Imperium admiistravit.
- GG. *Huon cum* filius CAO VAM, à fratre GUEI LIE VAM creatus Regulus in prov. *Ho nan*, cui dein successit *Guei cum* filius.
- HH. *Hoei cum*, nepos *Huon cum* Regulus *Ho nan*, filium minorem *Tum cheu kiun* dictum creavit Regulum ditionis *Cum*, nun curbs est *Ho nan* prov. *Ho nan* item dictae
- II. *Si cheu cum* primogenitus *Hoei cum* sic dictus, quia fuit regionis Occidentalis Regulus in eadem prov. *Ho nan*.
- JJ. TUM CHEU KIUN ultimus & 35. familiae *Cheu* Princeps, filius hic fuit *Hoei cum*, & è quinta stirpe nepos CHIN TIM VAM Imperatoris 27. Extincta fuit hac familia à Regulo regni *Cin*, dicto *Chuam siam vam*: erat autem dictus Regulus oriundus ex stirpe *Fi çu*, quem 8. Imperator familiae *Cheu* HIAO VAM regno *Cin* donaverat: cujus stirpas à 37. Regulis propagate, tandem sub XI HOAM TI Imperio quoque

potita fuit, verùm tribus & quadraginta post annis extincta familia, ad eam quae Han dicitur, translatum Imperium.

Atque haec demum est trium familiarum Imperialium series genealogica, quam idcirco placuit hic exhibere, quòd eae familiae reliquas omnes quae consecutae sunt, decem & novem & annorum diuturnitate & felici administratione, nec non virtutum & pietatis laude (si postrema tertiae familiae tempora exceperis) longè superaverint; reliquarum verò familiarum series genealogicas accurate conscriptas qui voluerit, consulat, si placet, Sinenses Historiographos.

# Tabula Chronologica Monarchiae Sinicae

Juxta cyclos annorum LX.  
Ab anno post Christum primo, usque  
ad annum praesentis Saeculi 1683.

*Auctore R.P. Philippo Couplet Belgâ, Soc. Jesu,  
Sinensis Missionis in Urbem Procuratore.*

Nunc primùm in lucem prodit  
è Bibliotheca Regia.

Parisiis,  
M.DC. LXXXVI.  
*Cum privilegio regis.*

## Praefatio

### Summatim exhibetur perpetua series Familiarum Imperialium.

Antequam tabulam alteram Chronologicam Monarchiae Sinicae post Christum hîc subjiciam, juvat praemittere, et sub unum quasi aspectum Lectori offerre Imperialium Familiarum Monarchiae tam quae ante, quàm quae post Christum florere, quoddam summarium. Rectè notant Sinenses Interpretes, quòd sicut Elementis totique Mundo sublunari suae sunt rerum temporumque vicissitudines, ita suis sint etiam regnis atque imperiis, adeoque familiis illis, penes quas sunt ipsa imperia, sic ut dum una occidat, orientur aliae; dum hae vigent ac florent, marcescant illae et consenescant, nec quidquam ferè constantius sit quàm ipsa rerum vicissitudo et inconstantia. Locupletissimae veritatis hujus testis est Sinarum Monarchia.

Primus itaque gentis Sinicae Conditor *Fo hi* vagos et agrestes homines ad quondam vitae societatem primùm adduxit, mox etiam conjugiiis blandè vinctos, ad humanitatem informare coepit. à *Xin num* deinde agriculturam docti sunt, atque aliis vitae tuendae praesidiis muniti. Postea verò celebrem illum *Hoam ti*, à quo periodum sexaginta annorum orsi fuimus, et tres ejusdem successores (scilicet *Xao hao*, *Chuen hio*, et *Ti co*) duces et magistros nacti, ac cultioris vitae rudimentis imbuti, adolevere paulatim in Regnum hoc et Imperium ultimi Orientis.

[24] Sex gentis Sinicae Conditores ac Principes secuti sunt celeberrimi duo Imperatores iidem et Legislatores *Yao et Xun*. Quod autem *Confucius* in libris suis, et qui huic proximus censetur, centum annorum intervallo, *Memcius*, horum duorum Principum mentionem potissimum faciant, non item sex praecedentium, non alia, ut opinor, causa fuit, quam quod ambo isti et Reges fuerint et Legislatores, quod ab iisdem praecipui quique ritus civiles et institutiones politicae sint profectae. Horum verò duorum Imperatorum seu Legislatorum tempora annos 150, explent, qui si ad annos 587, praecedentium sex addantur, universim existent 737.

Duos gentis Conditores et sex Imperatores secutae sunt Imperiales Familiae, penes quas ad haec usque tempora suprema dignitas fuit, et monarchica Sinarum administratio. Universim duae et viginti numerantur, novem scilicet majores, minores tredecim; si tamen his omnium postremam familiam, et quae jam maximè adolescit, Orientalium dico Tartarorum, sub qua haec scribimus, adjungamus.

Porro tres illae Familiae, quae reliquas antecesserunt, tempore, famâ quoque et laudibus antecedunt; quippe morum integritate, pulcherrimis institutis, ad haec clementiâ, aequitate et fide administrantium Rempublicam, aliarum omnium verè principes. Has inter prima, quae *Hia* dicitur, Imperatores 17. numerat, quae per annos 458, imperium tenuere: altera *Xam* ac deinde *Yn* dicta, Imperatores 28. per annos 644. tertiam denique, quae vulgò *Cheu* nominatur, Imperatores 35. per 873. rexerunt; vicitque haec omnes et Principum numero, et annorum. Trium verò familiarum annos conficiunt 1975.

Quae tempore trium Familiarum gesta sunt, partim referuntur [25] in toto libro *Xu kim* à variis illorum temporum Historiographis Regiis, partim in aliis haud minoris fidei libris classicis atque authenticis, quos ipsemet *Confucius* Philosophus singulari studio atque operâ collegit: multa quoque à *Tai su cum* commemorantur, qui plusquam duobus saeculis vixit ante *Confucium*; et à *Lao kiun*, qui coetaneus ejusdem fuit, tametsi senior: quin et Philosophus ipse sub vitae exitum functus Historiographi munere, non pauca memoriae posterorum prodit in eo libro qui *Chun cieu* dicitur; atque in libris Scientiae Sinicae, quos in lucem damus, multa quoque reperiuntur à *Confucio Memcioque* inspersa, quae ad aetatem trium Familiarum spectant.

Caeterùm familia *Cheu* trium principum familiarum, uti jam diximus, postrema, uti fuit primis maximè temporibus florentissima, ita copiosiore quoque scribendi materiam praebuit: annis tamen labentibus et ipsa labi coepit, et fallentia rerum humanarum decreta paulatim experiri. Certè quo tempore Philosophus vivebat, multum jam de antiquis suis moribus, priscaque integritate et severitate amiserat. Laboravit ille quidem per annos complures, et incenso planè studio tam verbis quàm scriptis egit, ut auream illam Priscorum aetatem innocentiamque revocaret, sed nullo vel perexiguo certè quidem successu laboravit. Perierunt ergo tandem tres familiae principes, postquam ex eis octoginta Imperatores per annos omnino 1975. Imperium Sinense tenuerunt, et, quae humanae conditionis infelicitas est, periit unà cum illis prisca fides, candor, innocentia: quin et haereses ab ipso Confucii tempore invalescebant, nec multis post saeculis execrabilis idolorum pestis ab India invecta cultissimam gentem foedis insanisque superstitionibus miserandum in modum contaminare coepit. Et quamvis aliquae familiarum, [26] quae tres modò memoratas consecutae sunt, impensè hoc egerunt, ut instituta Majorum ac disciplinam, pristinosque mores revocarent, nunquam tamen perficere potuerunt, ut non labes aliqua vitatae semel aetatis, et quasi rugosum quid ac senile persisteret, multumque priscae integritatis atque severitatis (quemadmodum observant omnes) desideraretur. Est interim memoriâ sanè dignum quod *Yam cie* gravissimus inter Sinas auctor animadvertit in Prologo suo, qui quidem omnibus omnino annalibus praescribi solet, ruinam scilicet trium familiarum tam illustrium ex tribus maximè pellicibus, quarum singulae singulis familiis damno fuerint, extitisse. Quod tametsi non sine causa vir prudens animadverterit, aliam tamen quoque



rem tertiae huic familiae damno fuisse atque exitio multi observarunt: quippe cùm Fundator illius *Vu vam*, Princeps militari Gloriâ clarissimus, idemque mirificè liberalis erga suos, septuaginta Regna seu Dynastias, eoque amplius, eis qui bene de Imperio meriti fuerant, nec non consanguineis suis largitus fuisset, haec munificentia cupiditati, sicut fit, ambitionique materiam praebuit, adeoque bellis sanè diuturnis ac luctuosis. Certè cùm procedente tempore octodecim majora Regna mutuis inter se bellis arderent, tandem imperante *Yeu vam*, qui duodecimus ex familia *Cheu* Imperium moderatus est, ad septem Regnorum Principes seu Regulos spes tota victoriae bellique moles devenerat, sic prorsus ut septem postremi Imperatores praeter augustum nomen Filii Caeli, sive caelitùs dati, et sigillum, et novem vasa Imperialia, praeter imagines denique et umbras imperii vix aliud quidquam retinerent: ei verò, qui postremus fuit omnium, ex amplissimo terrarum imperio nihil jam superesset praeter exiguam septem oppidorum ditionem.

Tribus ergo familiis *Hia*, *Xam*, *Cheu*, quarta successit [27] *Cin* dicta, quae postquam per annos omnino ducentos ac decem cum aliis sex Regnis pro suprema dignitate decertaverat, omnium tandem victrix votis suis amplissimoque Sinarum Imperio potita est: sed enim brevissimo potita tempore. Certè tertio post die quàm solium occupavit, in tumultum est illatus; filius exacto mox triennio, spe pariter ac vitâ spoliatus, secutus est patrem, et cum eo stirps omnis familiaque concidit. Usque adeo scilicet brevis et caduca fuit felicitas, imò spes mera felicitatis, ad quam ambitio tot annorum per tot caedes ac vulnera sibi viam fecerat. Quamvis autem qui deinde successit *Xi Hoam ti* dictus, atque omnium tandem victor nomen familiae *Cin*, in quam aliena ex stirpe adoptatus fuerat, per annos 37. quibus imperavit, tutatus sit, atque usus consilio sanè perapposito Monarchiae suae non solùm conservandae, sed etiam perpetuandae, Regulos omnes factionum bellorumque duces in ordinem, Regna verò in Provincias redigeret; tandem tamen unà cum illo ipsum quoque nomen extinguitur: immortale quidem futurum apud posteros, nisi rerum suarum gloriam, quas utique gessit maximas, et muri propè immensi contra Tartaros extracti merita, inaudito quodam litterarum hominumque litteratorum odio, nec minùs tyrannide saevitiâque suâ foedè commaculasset: qui adeò cùm se jam plurimis exosum esse cognosceret, insidias veritus ac vim suorum, non arma tantùm, sed aes omne ferrumque privatis ex aedibus jussit auferri. Verùm brevi didicit nequidquam iis tela adimi, quos odium et furor armat. Certè versâ tandem in furorem patientiâ, cannis igne duratis praeustisque tyrannum aggressi, cum caesis ac fugatis non semel exercitibus, nisi mortem natura praevenisset, imperio tandem ac vitâ exuissent. Dux autem facti, vir ignobilis è plebeiorum turba, cui *Lieu pam* [28] nomen, qui indolem regiam toto corporis proceri habitu praeferebat, mox Sinarum Dominus, atque Imperialis familiae *Han* vulgò nominatae Conditor ac Princeps. Haec autem multò quàm praecedens fortunatior, et sago togâque nobilis, militarem gloriam sic est sectata, ut litteras haudquaquam aspernaretur: harum itaque

studiosos, in quos familia praecedens ferro flammâque saevierat, benignè complexa, tenues librorum reliquias, quorum infinita copia communi fuerat absumpta incendio, sollicitè collegit: fortunata hoc quoque nomine, quòd in medio fere illius cursu SALVATOR MUNDI nasci dignatus est; fortunata, inquam, tanta si bona nosset; sique homines ii, quos ad exquirendam veram Legem in Occidentem legaverat, ex Indiis doctrinam potiùs Thomae Apostoli inibi tunc versantis, quàm nefarias idoli Fe superstitiones in partiam suam reduces attulissent. Turbavit autem non mediocriter, et interrupit quodammodo prosperum familiae hujus cursum per octennium Imperatrix una et Usurpator quidam Imperii, qui familiae suae *Sin*, id est novae, qualis revera erat, cognomentum indidit. Verùm quatuordecim post annis antiquata mox novitas fuit, ac familia *Han* cursum suum prosecuta, quinque et viginti Imperatores (non recensitâ Imperatrice et Usurpatore) per annos 426. numeravit. 230. quidem in Occidente *Xen si* sub tredecim Principibus, et sub duodecim in Oriente *Ho nan* per annos omnino 196. suis quoque Historiographis, qui quindecim numero fuerunt, illustris, et hos inter praecipuae auctoritatis Praefecto *Su ma cien*, (floruit is 100, fere ante Christum annis) qui historiam suam orditur ab *Hoam ti* Monarchiae Sinicae Conditore.

Quae huic deinde successit *Heu han*, sive posterior *Han* familia, idem nomen sortita est, quia ex eadem stirpe, [29] quamvis remotiùs, oriunda. Porro regnavit illa in provincia *Su chuen* per annos 44, nec nisi duo Imperatores pater et filius solium tenere; si tamen solium tenuisse dici possunt, quando eodem tempore duae aliae praepotentes familiae Guei et V, haec in Australi China, illa in Boreali nomen atque insignia Imperatoris usurpabant. Multa igitur bella per annos 40, et bellorum successus varii, quos et octo aetatis illius Historiographi multis libris complexi sunt, quoad tandem bellis pariter ac Triumviratui finem dedit septimae familiae *Cin* Fundator. Hic autem rerum potitus aulam in Oriente constituit, unde eam deinde posteri Principes in Occidentem transtulerunt. Sed hujus quoque familiae non admodum diuturna felicitas fuit, quippe quae 155. annorum spatio quindecim numero successivè Principes numeravit, quatuor scilicet dum in Occidente aulam habuit per annos 52, undecim verò cum in Oriente aulam tenuit per annos 103. Nimirum hac tempestate tota bellis civilibus ardebat China, Regnis omnino sexdecim inter se commissis: quò minus est mirandum, quinque familias, quae deinde scenarum propè ritu aliae aliàs consecutae sunt, tam brevi tempore constitisse. U tai, seu quinque familiae, dicebantur; item *Nan pe chao*, quae voces Australem Borealemque Dominationem sonant. At verò sub his familiis tam in Austro quàm in Septentrione modò haec, modò illa Regna supremum sibi jus atque imperium vindicarunt, ambitione scilicet per fas nefasque aditum sibi parante ad solium. Quid multa? Fuit tempus, cùm novem simul nomine tenus Imperatores videret China. Quinque porro familiarum in Austro regnantium sunt haec nomina, *Sum*, *Ci*, *Leam*, *Chin*, *Suy*. *Sum* igitur nomen octavae fuit familiae, et per annos 59, sub octo Imperatoribus stetit. Nona *Ci*, quam per annos 23, [30] Imperatores quinque tenuerunt.

Decimam *Leam* nominavere; haec per annos 55. quatuor Imperatores Sinensibus dedit. Undecima *Chin* est dicta, ex qua, 32. quibus stetit annis, quinque Imperatores prodierunt. Tres denique ex duodecima, cui et *Suy* nomen: fuit haec autem totius Imperii domina, sed brevi temporis spatio, ut quae post novem ac viginti annos finem accepit. Itaque si nos annorum Principumque numerum, qui ad quinque familias pertinent, summatim colligamus, comperiemus Imperatores quatuor et viginti, per annos 196, in Austro imperitasse, quando interim in Septentrione tres familiae *Guei*, *Cheu* & *Ci* per annos 170, imperitabant. Historiographi interim aetatis illius decem extitere.

Excepit hanc Imperialium scenarum varietatem stabilior aliquantò familia *Tam* vulgò nominata, si tamen in humanis rebus quidquam dici potest stabile. Fuit illa domus, caeteras inter, rerum gestarum gloriâ perillustris ac felix, verâ etiam gloriâ summâque felicitate longè omnes superatura, si beatissimam sortem, quae ipsis nascentis exordiis divinitus oblata fuit, tueri voluisset: ipsa nimirum est, cui septuaginta duo Praecones Evangelici à Judaeae finibus profecti, verae sapientiae lumen attulerunt: quo tametsi per annos circiter ducentos gaudere visa est, tandem tamen magis amavit ipsa spissas Atheorum suorum atque idololatriae imprimis tenebras, quàm lucem Christianae veritatis. Annis autem stetit 289. Imperatores viginti recensuit: in his excludimus Imperatricem unicam, quae Imperium, à quo per leges excludebatur, per vim et nefas usurpavit.

Post haec civilia rursum bella, novique Regnorum ortus et occasus. Quinque rursus familiis *Heu u tai* dictis, jus Imperii vi et armis sibi vindicantibus, Colai ferè vel armorum Duces erant quicumque ad imperium adspirabant; [31] cùmque totius imperii administratio ex nimia Imperatorum indulgentia et facilitate penes eos esset: ad haec, opes, arma, militumque et eorum quos ad dignitates evexerant favor, viam panderent, promptissimè scilicet capessebat ambitio quod totis votis expetebat: sed enim cùm paria essent multorum vota, Martisque rota nunc hos evehens, nunc illos, et mox etiam pro sua levitate, quâ unâ constans est, deprimentis quos evexerat; sic prorsus, ut trium et quinquaginta annorum spatio China duodecim viderit Imperatores; quodque multò fuit mirabilius, quinque Domorum Imperialium ortus partier atque occasus. Harum porrò singulis proprium nomen regni seu ditionis, quam Conditor suus antè obtinuerat, inditum de more fuit, unâ tamen adscitâ *Heu* litterâ, quae posteriores esse significaret; ejusdem quippe nominis familiae itidem rerum potitae fuerant.

Ne quid autem deesset ad publicas imperii calamitates, per eadem fere tempora Regulorum alii in Australi, alii in Boreali China inter se mutuò dimicabant, quoad unius tandem familiae (*Sum* nomen fuit) victrix ambitiosis aliarum studiis atque conentionibus finem attulit. Haec ordine decima-nona per annos 319, octodecim Imperatores Sinis dedit; plures etiam datura, si placuisset uti probis rerum suarum Administris, et Martis armorumque studia cum studiis litterarum, quibus impensissimè favebat, prudenter conjungere: se denim dum his totam se tradit, illorum propè oblita,

factum est ut pacificam Sinarum Palladem armata Tartarorum invaderet; et qui utriusque praesidio imperium ac libertatem tueri poterant, alterius neglectu in servitutem devenirent. Servitutis ac ruinae principium à Sinis fuit, si tamen par est Sinas dicere, qui soli ex Sinis omnibus abhorrentes à litteris, et venationis armorumque studiis dediti, [32] Tartari veriùs censi poterant: Barbari certè quidem vulgò censebantur, ac terras *Leao tum* dictas ipsi Tartariae Orientali finitimas incolebant, vicinis suis robore militari, morumque ferocitate perquam similes. Hi ergo sive Praefectorum injuriis (uti fit) lacesciti, sive aliis de causis sumptis armis rebellionem movent; nec mora, jam non cives, sed hostes rapinis grassantur ac caedibus, finitimas quasque detiones infesti populantur : obrui opprimi-que poterant solis litteratorum calamis, si quantum his litterarum erat, tantum fuisset animorum: sed enim qui otio, qui umbrae et solis Musarum cantibus assueverant, solo propè armorum strepitu lituorumque cantu exanimati sunt. Quid hic ageret Sinarum Imperator? erat is octavus ordine, *Hoei cum* ei nomen, barbaros ope barbarorum domiturus Tartaros Orientales invitat, lupos, scilicet imprudens, ut canes abigat. Advolant Tartari, feritur foedus, arma cum Sinis sociant, rebelles domant; sed his domitis, imperii quoque societatem petunt, quae ubi negatur, bellum denunciant, geruntque eo successu, ut Imperatore totâque aulâ in Australem Chinam migrare coactâ, ipsi provincialium Borealium jam domini non dubitarint imperii jus atque titulum sibi vindicare: quò magis fuit mirandum, posteros tanto majorum suorum malo nihilo cautiores factos, nostris rursus temporibus in eundem errorem atque eandem calamitatem lapsos fuisse. Per annos igitur 150. Principes novem ex illa Tartariae Orientalis gente Chinae Borealis Imperatores appellari se voluerunt, Australis etiam Chinae futuri domini, nisi per eadem fere tempora multò numerosior ipsis fortiorque Tartarus Occidentalis spes conceptas et victoriarum cursum intercidisset. Hunc Sinarum Imperator contra Orientalem invitavit concitavitque: adest alacer, usurpatorem Tartarum feliciter tandem debellat, [33] ac procul è China ejicit, gratulantibus scilicet triumphantibusque Sinis, quando ecce quod his sui quondam hostes vaticinati fuerant, victor Tartarus stipendium militia suae praemiumque sanè magnum poscens, et armatis, ut aiunt, precibus Septentrionem totum vindicate sibi; nec contentus hac quamvis immensâ propè ditone Barbarus, ex ambizioso cupidoque socio apertus jam hostis, cum milite exercitatissimo atque armis vincere assuetis, in Meridionales opulentasque Sinarum venit Provincias, et spem non inanem imperii totius. Ab ortu igitur et occasu perpetuis hostium irruptionibus ac latrociniis exhaustum et labefactatum Imperium tandem ruinam fecit: unum hoc acerbi casus solamen à litteris suis ferens, quod cum superioribus quinque families unus duntaxat Scriptor obtigisset, ipsius res gestae per duos et sexaginta Historiographos, ut jam de veterum librorum Interpretibus non agam, posterorum memoriae commendatae fuerint.

Victrix ergo quae ad occasum degit Tartaria, quae familiae suae *Yuen* nomen dedit, per annos novem et octoginta Sinis dominata est, cùm totidem ferè annos in expeditione

sua consumpsisset; quod nulli quidem mirandum videri debet: fuit cognatisque Tartaris, qui, uti modo narrabam, Pekinensem Provinciam bellicosam imprimis, armis ac ditione obtinebant: cùm autem rara sit gratia fratrum quoque, ne dicam affinium; tum quidem maximè, cùm de corona sceptroque agitur, adspirantibus eodem et his pariter et illis, bello tandem vicère qui opibus numeroque vincebant Occidentales Tartari. Prodierunt Imperatores novem ex hac Tartarorum familia, quam adeo non sunt aversati Sinae, ut fidem candoremque gentis experti mirè etiam charam habuerint; iamque etiam desiderium illius non rarò prodant, hoc quidem [34] tempore, quo Orientali Tartaro parere coguntur. Usque adeo scilicet tolerabile redditur vel ipsis servire Tartaris, si modò fides et clementia regnarit. Coelum interim Sinense ac solum multò fuit apud victores inclementius, quàm hi erga victos erant: plerisque certè Principum (si primum ac postremum excipias) brevis admodum dignitatis ac vitae usura fuit. Nimirum extra silvas suas ac nives aegrè gens ista vel in deliciis vitam trahit, nisi revera dicamus, idcirco brevem fuisse, quòd in deliciis eam ducerent. Hoc quidem certum poenis istis Asiaticis suam hic quoque fuisse Campaniam, et deliciis tandem fractos ac voluptatibus perdidisse militares spiritus, Martiumque robur, quo pauci multis Sinarum quodam pares erant. Ab his ergo quamvis imbellibus facilè potuerunt vinci atque opprimi, praesertim cùm libertatis amor vires animosque subderet, nec ipsi virtute bellica jam vincerent, à quibus numero longè vincebantur. Incrementa porro decrementaque rei Tartaricae octo aetatis illius Historiographi conscripsere; ad quos è sequenti familia nonus accessit, qui unus belli pacisque res omnes ducentis ac decem voluminibus est complexus: hos autem decimum quoque his jungimus, Marcum Paulum Venetum, expeditionis Tartaricae spectatorem et socium, qui multum dedit lucis rerum Sinicarum studiosis.

Is interim qui Tartaros è China pepulit infimae conditionis homo, de famulo sacrificulorum latronum dux, ad extremum maximorum Imperator exercituum Chinaeque Dominus evasit. Ab hoc fundata *Min* familia, quae per sedecim deinde Principes, ducentorum septuaginta sex annorum spatio feliciter est propagata. Ab ea redactum divisumque Imperium in tredecim Provincias, et binas Provincias aulicas *Pe kim* in Septentrione, et in Austro *Nan kim*: ab hoc Monarchia firmissimè stabilita, [35] Regulis Dynastisque omnibus nihil praeter titulum censumque titulo dignum relinquens. Verumtamen quae humanae felicitatis est inconstantia, haec quoque Monarchia, quâ nihil stabilius esse videbatur, nihilque florentius, aliquando corrui; latronum civiumque beneficio caput extulerat, latronum civiumque incuriâ depressa fuit atque extincta; quippe dum robur omne militiae Sinis procul ad Imperii et Tartariae fines occupatur, seditiosorum perditorumque hominum manus in ipsis Regni visceribus numero viribusque paulatim aucta, tandem eluvionis instar Boreales aliquot Provincias occupavit; inde grassari barbarum in morem incendiis, rapinis, caedibus: jamque adeo Pekinensem aulam crudeliter atque avarè diripere, ipsomet Imperatore sibi ultro

consciscente necem, quo se crudelitati suorum graviorique probro eriperet: quorum omnium factus certior, qui tunc regio exercitui summa cum potestate imperabat, in ultionem tanti sceleris exardescens, et poenas utique justissimas de perduellibus illis sumpturus, repente cum Orientali Tartaro, quocum tunc maximè bellum gerebatur, pacem init, jamque adeo in ultionis quoque et belli contra latronem societatem vocat. Adfuerunt mox alacres Tartari; itur in latrones, fugantur, caeduntur, Tartaris non minùs famâ et terrore nominis sui, quàm manu ferroque pugnantis: et hi quidem jam ovantes, maximis onusti spoliis revertentur, atque ut Sinae autumabant, in Tartariam suam; cùm ecce non ultra Pekinum progressi, suum esse scilicet Sinarum Imperium, nec uno tantùm titulo, declarant. Quid plura? Paucorum annorum statio, vi, metu, dolo, virtute, nec non Sinensium discordiâ perfidiâque Provinciae subactae omnes, extincta funditus *Mim* familia.

Successit igitur clausura nobis Imperiale agmen nova Tartarorum Orientalium familia *Cim* dicta, cujus quidem [36] imperantis anno quadragesimo, nostrate verò Orbis Christiani 1683, quo haec scribimus, imperante *Cam hi*, qui secundus è gente Tartarica vigesimum-secundum jam annum Tartaricum pariter et Sinense moderatur Imperium.

Atque haec demum est series Familiarum Principum Sinicae Monarchiae; quas ut ego summatim offeram: fuerunt illae quidem duae supra viginti, Imperatores verò omnium, annumeratis octo primis gentis Principibus, universim ducenti triginta quinque, omissis scilicet iis qui quòd brevi tempore vixerunt, vel aliis de causis, in serie non ponuntur. Perstitit autem Monarchia in Familiis Imperialibus per annos 3898. ad quos additis 737 annis, quibus octo primi gentis Principes vixisse perhibentur, conficiuntur à primo anno *Fo hi* ad hunc Salutis humanae 1683 inclusivè, anni 4635. ex his subtrahere annos 255. quibus duo Conditores *Fo hi* et *Xin num* regnarunt, residui erunt 4380. qui conficiunt Cyclo sexaginta annorum omnino tres et septuaginta.

## Tabula numerica XXII. Familiarum

### Imperialium, Imperatorum, Annorum

	Familiae.	Impp.	Anni.	VIII.	Sum.	7.	59.
I.	Hia.	17.	458.	IX.	Ci.	5.	23.
II.	Xam.	28.	644.	X.	Leam.	4.	55.
III.	Cheu.	35.	873.	XI.	Chin.	5.	32.
IV.	Cin.	3.	43.		Familiae.	Impp.	Anni.
V.	Han.	27.	426.	XII.	Suy.	3.	29.
VI.	Heu han.	2.	44.	XIII.	Tam.	20.	289.
VII.	Cin.	15.	155.	XIV.	Heu leam.	2.	16.

XV.	Heu tam.	4.	13.	XIX.	Sum.	18.	319.
XVI.	Heu cin.	2.	11.	XX.	Yuen.	9.	89.
XVII.	Heu han.	2.	4.	XXI.	Mim.	21.	176.
XVIII.	Heu cheu.	3.	9.	XXII.	Cim.	2.	40.

[37]

## TABULA CHRONOLOGICA Monarchiae Sinicae

### POST CHRISTUM

Juxta Cyclos annorum LX.

*CYCLUS XLV. Annus 58. Post Chr. Primus*

#### **11. HIAO PIM TI regn. 5.annis.**

Anno Cycli 58. & primo à Christo nato succedit in Imperium HIAO PIM TI, hoc est, obediens pacificus, è quinta *Ham* familia numero undecimus, ex octavi Imperatoris *Yuen Ti* stirpe nepos novennis.

Avia Imperatrix committit imprudens totum regimen Colao *Vam mam*, vafro, ambizioso, crudeli. Hic sublato aemulo solus rerum potitur: 117. suae factionis Dynastas creat: nomine Imperatoris coelo soleni ritu sacrificat: fictis prodigiis id agit, ut credatur à coelo missus.

*CYCLUS XLVI Anuus post Chr. quartus.*

#### **12. JU CU YM regn. 3.**

#### ***Vam Mam* regn. 14.**

Anno Cycli 2. HIAO PIM TI veneno perimitur à *Vam mam*, qui simulatè vota offert & vitam coelo devovet pro Principis salute.

Anno 3. à *Vam mam* substituitur JU CU YM biennis infans, è stirpe septimi Imp. SIUEN Ti.

Anno 5. JU ÇU YM Imperio exuitur à *Vam mam*, qui anno 6. deposita jam larva palam Imperium usurpat, & Imperator proclamatur. Plurima renovat: nomen familiae suae indit *Sin*, id est novum, quod 14. annis duravit. In novem provincias Imperium dividit, & in regiones 125. in quibus urbes 2203. Dynastas creat 796. Toparchas 1551.

[38] *Anno 13. Lunâ 7. die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 16. Cometes.*

Varii conflantur exercitus confoederatorum, qui *Che muy* dicti, quod minio tinctis superciliis à reliquis distinguerentur, alii exercitus à duobus fratribus *Lieu sieu* & *Liu ym* è *Ham* familia oriundi. Hinc varia & cruenta bella.

Anno 19. locustarum tanta copia, ut solem obducerent: hinc fames ingens, adeoque hic plerumque ansa rebellionum & latrociniorum.



### 13. HOAI YAM VAM regn. 2.

Anno 20. caeso exercitu, aula direpta & incense, occiditur *Vam mam*, corpus in frusta discerptum & sale conditum, caput in foro suspensum populi telis configitur. Subrogatur eodem anno à victore exercitu HOAI YAM VAM, è quarti Imp. KIM TI stripe oriundus.

### 14. QUAM VU TI regn. 33.

Anno 21. HOAI YAM VAM, quòd luxui deditus, ab exercitu rejicitur, subrogato *Vam Lam*, qui se filium noni Imp. Chim Ti esse mentiebatur; sed paulò pòst detecta fraude obtruncatus.

Anno 22. succedit QUAM VU TI (aliàs *Lieu sicc*) è decimo filio Kim Ti quarti Imperatoris oriundus.

Aulam ex Occidente *Xen Si* in Orientem transfert *Seu Lo yam* urbem provinciae *Honan*. Hinc deinceps Orientalis *Han* familia nominatur. Princeps bello & pace clarissimus, ruri educatus, & plebis labores expertus, ejus misereri novit; comis, liberalis, & amans litteratorum, quos undique accersitos evehit. Corporis habitus vulgaris: lustrans Imperium in natali solo cum popularibus agricolis epulatur. Piscatori *Nien quam* sodali olim suo ad se accersito obviam procedit, primas defert, & in eodem secum strato cubare jubet, ubi noctem pristinae vitae res commemorando traducunt. Sub noctem semel à venatione redux Regiae portas oclusas offendit, vigilum Praefectus aperiri vetat; quare ad aliam pergens admittitur: postridie eum, à quo admissus erat, uno dignitatis gradu dejectum plectit, auget alterum.

Annos 12. impendit rebellibus domandis, & pacando Imperio. Rubris tincti superciliis copias suas in 30. cuneos seu 300. millia dividunt. Sibi eligunt in Imperatorem *Puon çu* è familiâ Han, ad bubulci sortem redactum, qui victus ultrò se dedens, & vitâ & dynastia à victore donatus.

Dux belli *Ma yuen* Cochinchinae rebelles domat, deinde in praelio contra boreales barbaros occumbit.

*Anno 24. Lun 3. die ult. Eclipsis Solis: item anno 27. Lun. 9. die ult.*

*Anno Cycli 28. Imperii verò 7. Lun.3. die ultimo memorabilis Eclipsis totalis, cujus occasione vetat in codicillis imposterum uti nomine Xim, id est sanctus. Cùm dicant annales Eclipsim praevenisse tempus; an fuerit [39] ea, quae in morte Christi contigit, Astronomis examinandum relinquitur.*

*Anno 37. Lun.3. Eclipsis Solis, item anno 38. Lun.2. die ult. Item 43. Lun.5. item 46. Lun. 1. die ult. 51. Lun.2. item 52. Lun. 5. Die ult. Et 53. Lun. 11. Die ult.*

## 15. MIM TI regn. 18.

Anno 54. QUAM VU TI moritur aet. 61. Anno 55. succedit MIM TI filius ex decem: Princeps prudens, sagax, clemens. Academiam instituit in ipsa Regia pro filiis optimatum etiam barbarorum, quorum exercitationibus interest. Heroës bello & pace claros pingi jubet, & in aula appendi. Visitat aedes Confucii Philosophi. Imperatrix (filia memorati Ducis *Ma yuen*) modestiae speculum fuit in Gyneceo, vestibus ac pictis constanter abstinent.

*Anno 57. Lun.8. Eclipsis solis.*

Crebras eluviones fluvii *Hoam ho* opera centum mille hominum objectis per mille stadia aggeribus coerces.

*CYCLUS XLVII. Annus post Chr. 64.*

Anno Cycli 2. occasione somnii, quo oblata fuerat species aurata viri gigantaei, & memor dicti, ut putatur, à *Confucio* prolati, in *Occidente existit sanctus*, quaeri jubet Imperator per suos legatos veram legem ex Indiis; at enim idoli *Foe* pestifera secta cum metempsychosi (proh dolor!) invecata est anno imperii sui 8. Lun. 10. (quâ & Sol defecit) anno post Christum 65. Dirè exagitant hoc factum scriptores omnes.

*Anno 7. Lun. 10. die ult. Et anno 10. Lun. 5. die ult. Eclipses solis.*

## 16. CHAM TI regn.13.

Anno 12. MIM TI moritur aet. 48. Anno 13. Succedit Cham Ti filius, probus & sapiens, pacis amans & literarum: vectigalia moderatur, magistratibus suis elegantiorum vestium usum interdicit, veterum parsimoniam imitandam dictitans.

*Anno eodem 13. Terramotus Lun. 8. Cometes, anno 14. sterilitas. Lun. 12. Cometes.*

*Anno 17. Lun. 2. Eclipsis Solis, item 18. Lun. 6. die ult. Item 24. Lun. 8. die ult.*

## 17. HO TI regn. 17.

Anno 25 CHAM TI moritur aet.31. Anno 26. Succedit HO TI filius & decennis, sub tutela Imperatricis.

*Anno 27. Lun. 2. Eclipsis Solis.*

Anno 28. *Pan chao* Dux celeberrimus jus Imperii clientelare profert longissime cum victore exercitu terrestri 200. dierum itinere, 50. amplius regna missis obsidibus clientelam profitentur: ad 40. millia stadiorum usque *Ta çin*, id est Judaeam, refertur progressus; 30. Anni circiter in his expeditionibus insumpti.

*Anno 29. Lun. 6. Eclipsis Solis.*

Anno Imperii 14. conjugem repudiat suspectam insidiarum, haec moerore contabescit, *Tem yu* Ducis neptem Reginam creat, modestiae speculum, litterarum [40] imprimis perita: ab ei gratulantibus nil munerum accipit praeter penicillos, & novum

papyri genus tunc inventum.

Ho TI primus Eunuchos publicis muneribus admovet, à quibus postmodum crebrò perturbatum Imperium, creatis etiam ex eorum numero Dynastis ac Regulis à sequenti Imperatore.

*Anno 32. Lun. 4. Eclipsis Solis, item 34. Lun. 3. Item 37. Lun. 7. Item 40. Lun. 4.*

### **18. XAM TI regn. 1.**

Anno 42. HO TI moritur aet. 27. Anno 43. Succedit XAM TI, secudus filiulus 100. dierum, qui mox moritur.

### **19. NGAN TI, regn. 19.**

Anno 44. Succedit NGAN TI nepos CHAM TI. Tredecennis loco Regina mater Imperium administrat, sed ultra tempus: in publica sterilitate adit ipsa per se carceres. Imperium ne mole sua viribusque fatigetur, arctioribus finibus circumscribitur, multarum gentium & Principum clientelis renuntiatis.

Per haec tempora grassatur insignis pyrata *Cham pe lu*, qui post quinquennium obruncatur.

*Eodem anno 44. Lun. 3. Eclipsis Solis.*

NGAN TI concubinam unam Imperatricem creat; haec sterilis cum esset, alterius concubinae filium (clam veneno sublatâ matre) sibi vendicat.

Singulis propè annis terraemotus; maximè terribilis fuit decimus quintus, qui anno Imperii 8. Lunâ 2. contigit, quando tellus hiatum fecit longum stadiis 182. Latum 56. (13. Stadia Sinica leucam Germanicam conflant) Amnistia toto Imperio indicitur, missis de more ad singulas provincias legatis Regiis.

*Anno 46. et 17. sequentibus annis terraemotus, fames, inundationes.*

*Anno 48. Lun 1. Sol deficit. Anno 51, lun. 3. anno 52. Lun. 9. die ult. et anno 56. Lun. 12. totalis Eclipsis.*

*Anno Cycli 1. Lun. 9. die ult. Eclipsis Solis.*

*CYCLUS XLVIII. Annus post Chr. 124.*

### **20. XUN TI regn. 19.**

Anno 2. NGAN TI lustrans Imperium moritur, aet. 32. Anno 3. succedit XUN TI filius.

Imperatrici mortuae, quod sciret ab ea veneno sublatam matrem, vetuit justa fieri. Alios atque alios Barbaros domat.

*Anno 4. Lun. 7. Eclipsis Solis.*

Sancit, ut nemo gerendo Magistratu adhibeatur ante quadragesimum aetatis annum,

nisi virtus aetatem superet. Nutricem suam titulo donat heroinae, & sigillo more Sinis usitato: sed postmodum eidem veneficii convictae cum infamiae nota sigillum cum titulis eripitur.

*Anno 8. Lun. 4. in vico regiae suburbano terra haviit cubitis 850. in longum in terra Leam cheu.*

Anno 9. latronum cunei 49. urbes Australes vastant Duce *Ma mien*, qui post 12. Annos Imperatoris [41] nomen usurpabit, & proximo post anno occidendus.

*Anno 12. Lun. 18. mense intercalari Eclipsis Solis, item an. 15. Lun. 12. et an. 17 Lun. 2. die ult.*

*Anno 18. Terra centies octogies concutitur.*

Bis Amnistia indicitur.

## **21. CHUM TI regn. 1.**

Anno 21. XUN TI moritur aet. 32. Anno 22. Succedit CHUM TI biennis filius, qui Lunâ prima moritur.

## **22. CHE TI regn. 1.**

Anno 23. succedit CHE TI octennis, è stirpe CHAM TI, prudens supra aetatem. Visit gymnasium, in quo supra 30. millia scholasticorum.

Cum in conventu publico fratrem Imperatricis *Leam ki* torve intuens mussitabundus diceret, *o ferocem hominem!* ab eo mox veneno sublatus est Lunâ 6.

## **23. HUON TI regn. 21.**

Anno 24. Succedit HUON TI frater natu major.

*Eodem anno 24. Lun. 1. et anno 26. Lun. 4. die ult. Eclipses Solis.*

Sub hoc Imperatore venales fiunt magistratus, & sub hujus successore etiam dynastiae: sectae *Lao kiun* & Eunuchis impensiùs favet: multi litterati muneribus quoque invitati venire detrectant. *Leam ki* ad summa evehitur; ejus uxor titulo heroinae & duarum urbium censu, seu 500. aureorum millibus donatur. Anni Kalendis de more Regem veneraturus, cum contra leges accinctus gladio curiam introisset, gladio per mox erepto, veniam tamen tanti criminis impetrat; non multò pòst omnibus exosus, repente ab Eunuchorum turbâ cinctus, desperatâ fugâ, cum uxore sibi manus infert. Amici & propinqui ejus suprâ 300. magistratu privantur; tanta vis opum ejus fisco addicta, ut mediâ partem vectigalium aequaret.

Amnistiâ indictâ *Puon* Praefectus in carcerem innocens detrusus cum vincti solverentur, solvi renuit: *nam si exiero, inquit, ubique circumferam culpae infamiam, et vivens ero malus Praefectus, et moriens malus daemon.*

*Anno 28. et 52. tam horrenda extitit fames, ut carne humana homines vescerentur.*  
*Anno 29. Lun. 7. Anno 31. Lun. 9. Anno 34. Lun. 4. Intercalari, die ult. et anno 42.*  
*Lun. 1. die ult. Eclipses Solis.*

Anno 43. Croceus fluvius semper turbidus, limpidissimis fluxit aquis, quod illis mali ominis instar est.

*Anno 44. Lun. 5. die ult. Eclipsis Solis.*

Eodem Anno 44. HUON TI moritur aet. 36. sine prole, cumtamen suprea sex mille concubinas numeraret.

## **24. LIM TI regn. 22.**

Anno 45. Succedit LIM TI è stirpe CHAM TI. Studiosissimus Eunuchorum, moneri impatiens, avarus, jocis deditus: nundinas domesticas instituit, gaudens audire concubinas inter se licitantes & jurgantes. Ipse in rheda quam asinis jungit, obit palatia & gynaecea, unde equi asinis viliores extiterunt, orbe Sinico ad exemplum Regis se componente. Unâ re laudandus, quod Regum documenta quinque libris classicis contenta [42] marmori insculpi, & praeforibus Academiae erigi jusserit.

Conjuratio contra Eunuchos detegitur. 100. Senatores occiduntur, & ex aliis Praefectis 700.

Emergunt novi latronum cunei à flavo pileo dicti ducibus tribus fratribus *Cham* dictis è sectâ *Lao kiun*: potu lustralis aquae veneficiis infectae morbis medentur. Per octo provincias serpit malum, donec duo fratres in praelio victi 80. millibus partim ferro partim flumine pereuntibus, & altero praelio 100. millibus partim caesis, partim captis, tertius demum frater in obsidione moritur.

*Anno 46. Lun. 10. die ult. Anno 48. Lun. 3. Anno 50. Lun. 12. die ult. Anno 54. Lun. 10. Anno 55. Lun. 2. et anno 58. Lun. 9. Eclipses Solis.*

*CYCLUS XLIX. Annus post Chr. 184.*

Post 80. praelia tandem domiti Barbari ductore *Tuon kium*, de quo memoratur, quod in decennali expeditione numquam culcitâ ad somnum fuerit usus.

Anno hujus 21. sanguis pluit in Palatio.

*Anno 3. Lun. 5. die ult. Eclipsis Solis.*

Anno Cycli 5. rursus emergunt rebellium cunei et flavo pileo dicti.

Anno 6. LIM TI moritu aet. 34. haerede necdum nominato.

*Eodem anno 6. lun. 4. Eclipsis Solis.*

## **25. HIEN TI, regn. 31.**

Anno 7. Succedit HIEN TI filius secundus novenis, fratre *Pien ti* natu majore post

menses aliquot abdicato.

Hebes & segnis: hinc bella tam externa quam intestina. Imperii in tres ac deinde in 4. Partes & capitae divisio hinc coepit. Orientalis China penè tota conspirat contra *Tum cho* Imperatoriae militiae ductorem. Hic occiso HIEN TI & fratre ejus natu majore, aulam in Occidentem *Xen si* tranfert, incenso priùs Palatio, & è Regum sepulchris effossis thesauris; verùm anno sequenti trucidatur, & cadaver in foro cum plausu & ludibrio populi suspenditur.

Ejusdem tricies auri millia, argenti 90. millia fisco addicta. Sub hoc nova secta vulgò *Mi kiao*, sic dicta ab oriza, cujus certa mensura exigebatur ab iis, quorum morbos magicis carminibus curabant.

Recrudescit flavorum pileorum rebellio, 300. militum millia numerantur: paulatim deleti à *çao çao* invasore Imperii: ab hujus deinde filio *çao poi*, anno Cycli 37. è solio dejectus Imperator, & Dynasta *Xan yam* creatus, quatuordecim post annis inglorius obiit aetatis 54.

*Anno 11. lun. 6. die ult. et anno 17. lun. 9. Eclipses Solis.*

*Annis 21. 23. et 24. Cometes.*

*Anno 25. lun. 10 anno 27. lun. 2. anno 29. lun. 6. die ult. et anno 36. lun. 2. die ult. Eclipses Solis.*

[43]

## **Sexta Familia.**

### **1. CHAO LIE VAM, regn. 3.**

Anno 38. succedit CHAO LIE VAM (aliàs *Lieu pi*) ex quarti Imper. KIM TI stirpe: fundat familiam Imperialem *Heu han*, id est, posteriorem, *Han* dictam: haec sub duobus Principibus stetit annis 44. Vir erat procero admodum corpore, magnanimus, parcus verborum, in omni eventu sui similis: morti jam proximus, *Quisquis*, inquit, *quinguagenarius moritur, non habet cur de vitae brevitate expostulet cum coelo, quantò minùs ego quinguagenario major.* Inde filium Imperii haeredem Colao suo *Co leam* commendans, *Si consiliis tuis*, inquit, *non acquiescit flilius meus, eum de solio dejice, & tu ipse regna.* Mox conversus ad filium: *Macte animo, inquit, fili mi, peccatum quamvis leve tibi videatur, cave commiseris: quod rectum est, quamvis exile videatur, cave neglexeris. Sola virtus mortales subjugat. Noli modicam virtutem meam imitari. In uno Co leam patrem invenies.*

*Anno 39. lun 11. die ult. Eclipsis Solis.*

### **2. HEU TI, regn. 41.**

Anno 40. CHAO LIE VAM moritur aet. 63. Anno 41. succedit HEU TI filius, paternae laudis, quamdiu *Co leam* vixit, aemulus. In Occidente aulam habuit *Chim tu* metropolim prov. *Su chuen*. Triarcha tunc erat in Septentrione familiae *Guei*. In Austro

familia *V* aulam tenuit in *Kien cam* metropolis, (dein *Nan kim*, nunc *Kiam nhim* dictâ) haec 4. Reges tenuit per annos 59. Donec à familiâ *Cin* extincta.

Familia verò *Guei borealis* & duabus reliquis potentior, Reges per annos 46. numeravit, & extincta à *Sum chao* belli duce, à cuius filio familia sequens *Cin* sumet exordium. *Cham fi* & *Quan yu* sub *HEU TI* duces belli strenuissimi in praelio occumbunt. Post aliquot secula *Quan yu* in idolorum numerum adoptatus, uti *Mars Sinicus* adoratur.

Laudatur *Co leam*, quòd acceptâ saepius clade à Rege boreali *Guei*, suos tamen tam ordinatè nosset reducere, ut non videretur victus esse.

Rex borealis cum maximo exercitu Meridiem petit, aemulos Reges *Han* & *V* confoederatos debellaturus, sed ubi ad ripam magni fluminis *Kiam* tumescentes undas conspicatus, *Ab ideo*, inquit, *caelum hos limites statuit, ut mortalium cupiditatem limitaret!* Quare damnato belli consilio Boream repetit.

*Anno 41. lun. 11. die ult. Eclipsis Solis, item anno 48. lun. 11. die ult. item anno 50. lun. 5. intercalari, item anno 6. lun. 5. totalis Eclipsis.*

*CYCLUS L. Annus Post Chr. 244.*

*Anno Cycli 1. lun. 4. Eclipsis Solis, item anno 4. lun. 2.*

*Sum chao* Regis *Guei* cliens & copiarum ductor rebellat; in dominum suum arma movet cum successu.

Filius *HEU TI* Imperatoris desperata salute Imperii, *Moriamur*, inquit, *ô Pater, gloriosè in bello, ut patres nostros videamus.* Detrectat praelium pater, quare filius in funebri majorum aulâ, occisâ priùs uxore se perimit.

[44] *Anno 17. Lun. 1. Eclipsis Solis.*

Anno Imperii sui 40. Cycli huius vîgesimo, coeso exercitu & directa aulâ *HEU TI* dedit se victori, à quo creatur Dynasta *Nganlo*, ubi privatus post septennium moritur aet. 65.

## **Septima Familia.**

### **1. XI ÇU VU TI, reg. 25.**

Anno Cycli 21. *XI ÇU VU TI* belli Ducis *Sum chao* filius fundat familiam *Cin* dictam (sed diverso ab quartâ familiâ *Cin* & caractere & accentu.) Habuit haec quindecim Imperatores per annos 155. Aulam in *Loyam* urbe prov. *Ho nan* constituit ad Occidentem. Princeps magnanimus, sagax, verique amans.

Hac familiâ imperante 18. Reguli inter se pro Imperio decertant: Meridionales plerumque à Borealibus victi, quos & foedus cum Tartaris & nativum robur armabat.

*Anno 23. lun 6. die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 25. lun 7. Ingens numerus stellarum cum fragore versus Occidentem ruit, & ut pluvia dissolvitur.*

Pacato Septentrione Imperator cum 200. Milibus Regis *V* Australem regionem aggreditur, spatiosum flumen *Kiam* catenis quae veribus ferreis connexae spatiosum

*Kiam* flumen jungebant, perruptis, regia Nan Kim invaditur. Rex Portis egressus victori se dedit, à quo ditionis *Vam* dominus creatur.

Anno Imperii 17. totius Imperii jam dominus milites & arma improvidus dimittit, otio interim & luxui indulgens, cum gregibus feminarum hortos suos curru obiens, quem oves trahebant.

*Anno 28. lun. 10. Eclipsis Solis, item anno 31. lun. 1. & 3. Item anno 34. lun. 1. item anno 40. lun. 3. item anno 42. lun. 8.*

Anno 45. XI ÇU VU TI moritur aet. 55. relictâ prole numerosissimâ, post hujus obium novae rebelliones & bella.

## **2. HOEI TI, regn. 17.**

Anno 46. succedit HOEI TI primogenitus, stupidus & hebes. Initio operâ quatuor optimatum satis feliciter rexit; postmodum ex occasione secundae Reginae, quae primam ejecerat, & unicum ejus filium veneno sustulerat, occosis ejusdem fautoribus, multa praelia & caedes consecutae: occisâ secundâ Reginâ & ejus factionis sociis fugit Imperator. Regulus regni *Ci* victoriis tumidus Imperium affectans in praelio occiditur. Alter Regulus è familiâ *Han* in Septentrione rebellans decimo post anno extinguitur. Alter in Occidentali prov. *Su chuen* regium usurpat titulum.

Invaluit hoc tempore nova secta ex *Lao kiun* orta, dicitur *Vu guei kiao*. Doctrina de nihilo & inani: Sectatores statum quemdam quietis immotae affectant, quo functiones animae velut in extasi ad tempus suspendantur.

*Anno 56. lun. 11. Eclipsis Solis, item anno 57. lun. 4. item anno 54. lun. 8. intercalari.*

[45] *CYCLUS L I. Annus Post Chr. 304.*

*Anno 3. lun. 1. Eclipsis Solis.*

## **3. HOAI TI, regn. 6.**

Eodem anno 3. HOEI TI veneno sablatus moritur absque liberis, aet. 48. Anno 4. succedit HOAI TI vigesimusquintus filius Conditoris à primoribus electus. Speciem praebet boni Principis.

Regulus *Lieu yuen* occiso fratre, affectat Imperium, & biennio pòst moritur: hujus filius *Lieu çum* aulâ captâ filium Imperatoris interficit, & dein patrem ipsum, quem priùs jusserat servili habitu in convivio ministrare.

*Anno 5. lun. 1. & anno 9. lun. 2. Eclipses Solis.*

## **4. MIN TI, regn. 4.**

Anno 10. HOAI TI occisus aet 30. Anno 11. succedit MIN TI nepos conditoris, à primoribus electus; anno 13. aulâ direptâ se dedit *Lieu yao* victori, à quo creatur Dynasta in *Xan si*.



*Anno 13. lun. 6. eclipsis Solis*

### **5. YUEN TI, regn. 6**

Anno 14. MIN TI à Regulo Han occisus aet. 48. succedit YUEN TI conditoris nepos, gravis, modestus, sapientum fautor. Cùm trium Imperatorum Colaum *Vam tao* in eodem secum subsellio sedere vellet, hic modestè recusans, *Si sol* inquit, *se demittat ad inferiora quae collustrat, jam haec non habebunt quod suspiciant.* Aulam ex Occidente in Orientem seu *Nan kim* transfert. Hinc Orientalis Cin familia dicta.

*Anno 15. lun. 4. Eclipsis Solis.*

### **6. MIM TI, regn. 3.**

Anno 19. YUEN TI moerore confectus moritur aetat. 46. Anno 20. succedit MIM TI filius decessoris.

### **7. CHIM TI, regn. 17.**

Anno 22. MIN TI moritur aet. 27. Anno 23. succedit CHIM TI filius; pro quinquenni puero Regina mater regit. Quidam Reguli inter se pro Imperio decertant.

*Anno 22. lun. 11. anno 24. lun. 5. anno 28. lun. 3. & anno 32. lun. 10. Eclipses Solis.*

*Anno 33. Cometes, & anno 38. lun. 2. Eclipsis Solis.*

### **8. CAM TI, regn. 2.**

Anno 39. CHIM TI moritur aet. 21. Anno 40. succedit CAM TI frater.

### **9. MO TI, regn. 17.**

Anno 41. CAM TI moritur. Anno 42. succedit MO TI primogenitus; biennis tutelae Imperatricis committitur; adolescens virtute & prudentiâ, & suorum consiliis aliquas provincias recuperat.

A *Huon ven* Imperialium copiarum ductore borealis aula familiae *Han* rebellis diripitur & incenditur. Varia inter Regulos bella.

*Anno 43. lun. 4. anno 48. lun. 1. anno 53. lun. 10. Eclipses Solis, item anno 57. lun. 8. totalis eclipsis.*

### **10. NGAI TI, regn. 4.**

Anno 58. MO TI moritur aet. 19. Anno 59. succedit NGAI TI septimi Imperatoris filius, ab Imperii primoribus electus.

*CYCLUS LII. Annus post Chr. 364.*

### 11. TI YE, regn. 5.

Anno 2. NGAI TI moritur aetatis anno 25. Anno 3. seccedit TI YE frater minor, à primoribus electus.

*Anno 5. lun. 3. & anno 7. lun. 7. eclipses Solis.*

[46] Colaui *Huon ven* praelio vincit Regulum *Yen* in Septentrione; sed hic auctus copiis Reguli *Cin* aggreditur *Huon cum*, caeditque ad 30. millia.

### 12. KIEN VEN TI, regn. 2.

Anno 7. TI YE à Colao *Huon ven* dejectus è solio, creatusque Dominus arcis *Hai si*, ubi 15. post annis moritur aet. 43. Anno 8. succedit KIEN VEN TI filius minor YUEN TI quinti Imperatoris, à primoribus electus.

### 13. VU TI, regn. 24.

Anno 9. KIEN VEN TI moritur aetat. 53. Anno 10. succedit VU TI filius.

*Fu kien* Borealis Imperator meditaturo Austrum bello petere; dissuadetur, quòd familia *Cin* ex coeli mandato imperet, neque ita peccavit ut ejusdem gratiam amisisset. Spretis consiliis cum 600. equitum millibus, peditum 270. millibus Austrum petisse scribitur, 700. & stadia agmine perpetuo occupasse. Imperator Australis priusquam tota vis hostium conflueret, repente cum selectioribus aliquot millibus ex 80. quos habebat millibus armatorum castra aggreditur tantâ vi & fortitudine, & panico terrore correptos hostes adeo fregit, ut ex tanto exercitu vix 30. millia evaserint. Postmodum à ductoribus suis metipse *Fu kien* Imperator debellatur, capitur, ac tandem captus in fano proximo strangulatur.

Alia deinde ex aliis regna in Septentrione rebellant. Imperator Australis vino luxuriose se dedit, omnia factururus ditionis suae, si victoriam prosequi voluisset.

*Anno 12. lun. 10. anno 18. lun. 6. anno 21. lun. 10. & anno 28. lun. 5. Eclipses Solis.*

*Anno Imperii 20. Cometes apparet*, ei propinat alter belli Imperator Borealis, ut omen sinistrum à se avertat.

### 14. NGAN TI, regn. 22.

Anno 33. VU TI clam suffocatus in lecto moritur. Ansam dedit jocus quidam, quo secundae Reginae 30. annos agenti sibi vetulam videri dixisset.

Anno 34. succedit NGAN TI filius hebes & obtusus.

Rebellant regna tam minora quàm majora omnino septem.

*Topa quei* Reguli regni *Tai* post sextam stirpem abolitam nepos residuus debellat funditus Regem regni *Yen* Borealis, directâ aulâ ubi familiae suae per annos 149. sub 13. Principibus duraturae nova rursus fundamenta jacit.

*Lieu yu* è circumforaneo calceorum venditore miles, dein Dux belli, multis clarus

victoriis gradum sibi sternit ad Imperium, mox futurus sequentis familiae conditor.

Anno 37. lun. 6. anno 40. lun. 4. anno 44. lun. 7. anno 51. lun. 9. & anno 54. lun. 1. *Eclipses Solis.*

Anno 55. NGAI TI à *Lieu yu* occiditur aet. 37. *quo anno Cometes.*

## 15. CUM TI, regn. 2.

Anno 56. substituitur CUM TI decessoris frater uterinus.

[47] *Eodem anno 56. lun. 11. Eclipsis Solis.*

Anno 58. CUM TI suffocatus aet. 37. familia *Cin* extinguitur. Eundem annum sibi attribuit regicida *Cao çu vu ti.*

## Octava Familia.

### 1. CAO ÇU VU TI, regn. 2.

CAO ÇU VU TI (aliàs *Lieu yu*) octavae familiae *Sum* fundator, quae sub 8. Principibus stetit annis 59. è gregario milite Dux, ac dein Imperator, proceritate, & formâ corporis Imperio dignâ, magnanimus & gravis, in vestitu & epulis moderatus, aulam habuit *Nan kim* è quâ erat oriundus.

Imperiales quinque familiae quae ordine sequuntur, dicuntur *V tai*. Fuit autem per haec tempora diarchia seu duumviratus dictus *Nan pe chao*, hoc est Australe & Boreale Imperium.

### 2. XAO TI, regn. 1.

Anno 59. moritur CAO ÇU VU TI aet. 67. Anno 60. succedit XAO TI, aliàs *Ym yam vam* dictus primogenitus decessoris, jocis & oblectamentis immodicè deditus.

*CYCLUS LIII. Annus post Chr.424.*

### 3. VEN TI, regn. 30.

Anno 1. XAO TI è solio dejectus à Colao *Tan tao ci*, ac paulò pòst occisus aet. 18. Eundem annum sibi vindicat successor VEN TI filius natu tertius conditoris.

VEN TI Princeps pius, rectus, modestus, at Bonziorum fautor. Publicos magistratus ultra sexennium prorogari vetat. Arma movet in Borealem Imperatorem, cui 16. Dynastiae se subjecerant: primo praelio vincitur, at deinde triginta praeliis victor duce *Tan tao ci* Colao: at hic in praemium mortem tulit, ob nimiam potentiam suspectus: quo audito, Boreales animos rursus & arma movent. Non uno praelio victi Australes. Anno Imperii 26. tanta utrimque caedes extitit, ut campi sanguine stagnarent, avesque aliò migrarent. *Tai vu ti* Borealis Imperator jubet omnes Bonzios regnorum suorum interfici, fanis idolisque cremari jussis, quod aliàs deinde non semel factitatum.

*Anno Cycli 4. Lun. 6. anno 12. Lun. 1. anno 15. Lun. 11. anno 17. Lun. 4. & anno*

23. Lun. 6. *Eclipses Solis.*

#### 4. VU TI, regn. 11.

Anno 30. VEN TI à primogenitu suo occiditur aet. 47. Anno 31. succedit VU TI filius natu tertius, occiso fratre primogenito & parricidâ. Princeps litteratus, equitandi & sagittandi peritus imprimis, adeoque venationi immodicè deditus; prodigus tamen & oris soluti, nec suos, ut par erat, tractans.

*Anno 31. Lun. 7. Eclipsis Solis, item anno 38. Lun. 9.*

#### 5. FI TI, regn. 1.

#### 6. MIM TI, regn. 3.

Anno 41. VU TI moritur aet. 35. Anno 42. succedit FI TI filius natu major, moxque ob crudelem indolem quam foedavit innocentium sanguine, occiditur. Succedit MIM TI undecimus filius VEN TI, ingenii ferocis. Tredecim juvenes regio, fratrum suorum filios (fuerunt ei 28.) jubet interfici: ipse liberis carens, certos homines ad pellices suas submittit, quae si masculum pariant, [48] matre interemptâ, sterili Imperatrici educandum tradit.

Anno Imperii 3, memorandam cladem accipit.

Promovet *Siao tao chim* ad primam dignitatem, hic per duplex regicidium ad proximae familiae solium viam sternit.

*Anno 46. Lun. 10. Eclipsis Solis.*

#### 7. ÇAM NGU VAM, regn. 4.

Anno 49. MIM TI moritur aet. 34. Anno 50. succedit ÇAM NGU VAM filius primogenitus, immorigerus. Imperator Borealis à justitia laudatus, quòd carceri mancipatos diù retineret, ut longâ poenitudine ducti ad frugem redirent.

*Eodem anno 50. Lun. 12. Eclipsis Solis.*

#### 8. XUN TI, regn. 2.

Anno 54. ÇAM NGU VAM occisus anno aet. 15. à *Siao tao chim*. Anno 55. succedit XUN TI filius tertius MIM TI.

*Eodem anno 55. Lun. 9. Eclipsis Solis.*

### Nona Familia.

#### 1. CAO TI, regn. 4.

Anno 56. XUN TI à *Siao tao chim* perfidè obruncatus aet. 14. Anno 57. succedit CAO TI duplex regicida, Colai *Siao ho* ex stirpe vigesimaquarta nepos: familiam *Ci* fundat, quae sub quinque Imperatoribus tenuit annos 23. Aula *Nan kim*. Princeps litteris

quàm bello clarior, dicere solebat, si per decem annos gubernaret, se effecturum, ut idem esset auri quod glebae pretium : indutus aliquando vestem fulgentem auro & rari pretii lapillis, repente jussit omnes comminui, dicens, ex illis morbum gigni cupiditatis insaturatae.

## **2. VU TI, regn. 2.**

Anno 59. CAO TI moritur aet. 54. Anno 60. succedit VU TI filius natu maximus. Magistratus non nisi ad triennium vult prorogari: connubia vetat inter ejusdem cognominis familias, juxta priscorum leges.

*CYCLUS LIV. Annus post Chr. 484.*

*Fan Chin* conatur persuadere mero casu fortuitoque omnia agi, animam item cum corpore interire, nec quidquam post hanc vitam superesse. Fuit qui novam & impiam sectam scripto refelleret.

*Siao yen* bello & pace clarus, Colaui creatur: usurpabit proximè Imperium.

Borealis imp. translaturus aulam in *Lo yam* prov. *Ho nan*, cùm suos abhorre sciret, expeditionem fingit in Austrum, quò florem Imperii cum exercitu ducit. Transeundum erat per *Lo yam*, percunctatur ibi suos malint-ne belli aleam tentare, an ibi sedem figere; at memores cladum praeteritarum, volentes ac laeti sua castra in aulam commutarunt.

## **3. MIM TI, regn. 5.**

Anno 10. VU TI obiit aet. 45. Anno 11. succedit MIM TI frater conditoris. Hujus fidei ac tutelae binos suos filiolos commisert conditor: at *Mim ti* ambos in Imperio ad breve tempus collocatos intra quadrimestre è medio sustulit.

In Septentrione alta pax. Borealis Imperator adeò litteris deditus, ut sive equitans, sive vectus rhedâ, [49] nunquam libros è manu dimitteret.

*Anno 11. Lun. 5. Eclipsis Solis.*

## **4. HOEN HEU, regn. 2.**

Anno 15. MIM TI obiit aetat. 40. Anno 16. Succedit HOEN HEU filius decessoris tertius, crudelis & lascivus, monitorum impatiens, Eunuchorum fautor. *Siao yen* Colaui & unà Regulus regni *Leam* aulam *Nan kim* invadit: ejicitur Imperator. Incenso palatio novum extruit longè magnificentissimum, sic ut pavementum auratis floribus insterneretur.

## **5. HO TI, regn. 1.**

Anno 17. HOEN HEU occiditur aet. 19. à Colao *Siao yen*, cujus fratrem HOEN HEU priùs occiderat.

Anno 18. succedit HO TI frater, à *Siao yen* positus in solio, & mox depositus, ac dein occisus aet. 15.

Nona familia *Ci* extinguitur.

### Decima Familia.

#### 1. CAO ÇU VU TI, regn. 48.

Anno 19. succedit CAO ÇU VU TI (aliàs *Siao yen*) duorum Impp. & sex Regulorum parricida: fundat decimam familiam *Leam*, quae sub quatuor Regibus tenuit annos 55. Fuit hic ex pervetusta familia *Siao ho* oriundus. Princeps impigerrimus, negotia per se omnia expedit, excultus disciplinis propè omnibus, etiam militari, adeò parcus, ut eodem lectulo & pileo ad triennium usus scribatur; caeterùm Pythagoricis Bonziorum somniis adeò addictus, ut abjectis curis publicis ipse factus sit Bonzius. Edicto vetuit mactari boves & oves tam in sacrificiis quàm civilibus oblationibus, victimarum loco farinam offerri jubet.

Anno Imperii sui 15. obsidet urbem *Xeu yam* provinciae *Xan si*. Decennio tenuit obsidio, quo tempore aliquot centum hominum millia partim aquis, patim fame & ferro periere. Sub hoc corrui Imperium Boreale *Guei* dictum, quod annis 149. sub 13. Regulis steterat, atque in duos dein divisum dominos, duplex quoque nomen sortitur Orientalis & Occidentalis, quae deinde ad Reges transiit regnorum *Ci* & *Cheu*. Imperatrix Borealis *Hu* dicta Monasterium mille Bonziorum, quale Sina haud unquam vidit, extruit cum turri 180. orgyarum altitudine. *Yum nhim* seu aeternae pacis speciosum nomen coenobio inditum.

Anno Imperii 26. se venundans idolo *Fe* in mancipium, relictâ aulâ, in fano Bonziorum degit, raso capite & vili habitu, solisque herbis & orizâ contentus, donec à primoribus mille myriadibus nummorum cupreorum redemptus, ad aulam reluctans reducitur, ubi quoque Bonziorum lege rituque degit; erant tum 13. fanorum millia in Imperio.

Colaüs *Kien quen* cùm servire nollet usurpatori, spontaneâ fame (non infrequenti apud Sinas lethi genere) se necat. Re cognitâ Imperator: à *Coelo*, inquit, *mihi venit, non à Dynastis Imperium, quorsum perimit se miser?* Cùm non auderet criminum noxios ad mortem damnare, hac spe impunitatis passim aucta latrocinia & caedes.

[50] *Heu kim* hujus cliens & Regulus *Ho nan* rebellat. *Nan kim* invaditur. Ipse Imperator captus & productus in conspectum victoris, nullum turbati animi signum dedit. Rebellis autem, quamvis ferocis ingenii, hic tamen non sustinens vel intueri os Imperatoris & domini sui, adeò commotus est animo, ut sudor ei ex vultu manaret, *Ah*, inquit, *quàm difficile est collatae à coelo majestati resistere!* Tandem non ausus senem perimere, jussit, quae ad victum petebat, parcè malignèque suppeditari.

Celebratur pietas adolescentis *Kie fuen* 15. annos nati, erga patrem capitis damnatum ob enormia crimina in magistratu suo patrata: re cognitâ puer principem adit, & pro vitâ patris suam offert: multis tentata pueri pietas fuit, an sponte, an aliorum impulsu, seriòne, an specie tenus id faceret. Ubi pietas diù explorata constiti, huic donatur vita patris, ipsique filio eximii cujusdam honoris donatur insigne: at ille

constanter recesans, *Absit, inquit, ut ego id geram, quod rei quondam patris assidue memoriam renovet.*

*Anno 23. Lun. 3. Eclipsis Solis, item anno 33. Lun. 2. item anno 39. Lun. 5. totalis, item anno 40. Lun. 11.*

*Anno 47. Lun. 9. Cometes.*

*Anno 51. Lun. 4. & anno 57. Lun. 5. Intercalari Eclipses Solis.*

*CYCLUS LV. Annus post Chr. 544*

*Anno Cycli 4. Lun. 1. Eclipsis Solis.*

## **2. KIEN VEN TI, regn. 2.**

Anno 6. CAO ÇU VU TI flagitans pauxillum mellis, quo oris amaritudini mederetur, cùm id negatum fuisset, repente moritur anno aet. 86. Anno 7. KIEN VEN TI succedit, filius natu tertius, captus, & anno 8. Occisus aet. 49. Ab eodem *Heu kim*, qui titulum Imperatoris sibi vindicat, mox cum vitâ amittendum.

## **3. YUEN TI, regn. 3.**

Anno. 9. succedit YUEN TI septimus filius conditoris. Stultè improbèque addictus sectae *Lao kiun*. Colaus & Regulus R. *Chin, Pa sien* dictus, invasorem *Heu kim* deleto exercitu capit, & truncari jubet. Mox etiam rebellans, *Nan kim* aulam obsidet. Imperator muros urbis armatus circumit. Re tandem desperatâ ensem diffringit pretiosissimum, & Bibliothecam 140. Millium voluminum concremari imperat, dicens: *Ars omnis proh! interiit tam militaris quàm litteraria.* Urbe captâ, vectus equo albo habituque vulgari victori se dedit, à quo anno 11. occiditur. aet. 47.

## **4. KIM TI, regn. 2.**

Anno interim 12. substituitur KIM TI nonus filius decessoris.

Anno 13. KIM TI occiditur aetat. 16. & cum eo familia *Leam* extinguitur. Borealis *Cheu* Imperator idola omnia & fana cremari jubet.

### **Undecima Familia.**

## **1. CAO ÇU VU TI, regn. 3.**

Anno 14. CAO ÇU VU TI (aliàs *Chin pa sien*) regicida, undecimam familiam *Chin* fundat, quae quinque [51] Principes tenuit per annos 33. Fuit is è stirpe Ducis *Chin xe* sub *Han* quintâ familiâ bello inclyti oriundus. Litterarum & Bonziorum amans.

Anno 16. CAO ÇU VU TI moritur aet. 59.

*Eodem anno 16. Lun. 5. Eclipsis Solis.*

## 2. VEN TI, regn. 7.

Anno 17. succedit VEN TI frater, qui diù privatus vixerat, subditorum amans, quorum lites per se decedit. Saepe noctu obit ac lustrat palatium. In aula noctium horas & quadrantes distingui jubet tympanorum pulsu, qui mos toto imperio hodieque observatur. Fratrem Regulum *Ngan chim* imperii haeredem declarare statuit, quòd filius imbecillior esset. Resistente Colao & Senatu, ab incepto destitit. Borealis *Cheu* Imperator renovat priscum morem, quo viri grandes natu ac bene meriti alebantur expensis regis in domiciliis ad id destinatis.

*Anno 20. Lun. 3. & anno 23. Lun. 1. Eclipses Solis.*

Anno 23. moritur VEN TI aet. 45.

## 3. LIM HAY VAM, aliàs *Fi ti.*, regn. 2.

Anno 24. succedit LIM HAY VAM filius decessoris à Regulo *Ngan chim* depositus.

Anno 25. LIM HAY VAM moritur aetat. 19.

## 4. SIUEN TI, regn. 14.

Anno 26. succedit per vim SIUEN TI Conditoris ex fratre nepos, naturâ festivus & hilaris. Musices imprimis & pacis, & sapientum studiosus. *Chin tao* clientum unus pretiosa munera offert Imperatori; at hic, ut spes ejus ambitiosas eluderet, palam & coram se cremari jubet omnia.

Borealis Imperator Colaum creat *Yam kien*, cujus filio filiam suam nuptui dat; Colaum dein auctum dynastiâ regni *Suy*, imperium brevè invadet.

*Anno 27. lun. 10. anno 31. lun. 2. anno 34. lun. 11. die ult. & anno 37. lun. 10. Eclipses Solis.*

Anno 39. SIUEN TI moritur aet. 42.

## 5. CHAM CHIM CUM, aliàs *Heu chu.*, regn. 7

Anno 40. succedit CHAM CHIM CUM filius decessoris. Baccho & veneri jocosque immodicè indulget. *Yam kien* in Septentrione Imperatoris titulum usurpat. Cum 500. millibus Austum petit, fluvium *Kiam* impunè trajicit, aulam occupat. Ipse Australis Imperator se in puteum praecipitat, unde vivus extractus.

Anno 46. CHAM CHIM CUM è solio dejicitur, & 24. post annis privatus moritur aet. 52.

*Anno 42. Lun. 1. Eclipsis Solis.*

### Duodecima Familia.

## 1. CAO ÇU VEN TI, regn. 15.

Anno 47. CAO ÇU VEN TI, aliàs *Yam kien*, fundat duodecimam familiam *Suy*



dictam, quae numeravit tres Imperatores per annos 29. Imperium Australe, quod à Boreali per 300. annos fluvius *Kiam* diviserat ceu limes, anno Cycli 54. Imperii nono, uni domino parere coepit. Quod ipsum ab Astrologo praedictum fuerat. Erat is ex illustri domo, de quinta *Han* familia optimè merita oriundus. Aulam tenuit *Cham ngan* in prov. *Xen si*. Princeps rudis quidem litterarum, sed ingenii sagacis & profundi, temperans ciborum, populi amans, [52] musicam veterem & leges reformat. Compositiones floribus verborum adulatoriis comptas prohibet. Horrea publica per imperii totius urbes extrui iubens, vult ut quaeque familia pro statu & conditione certam orizae & tritici mensuram inferat, ut tempore sterilitatis succurri possit pauperibus, & ita tollatur ansa latrocinii.

Sanxerat ut furtum 8. assium capite plecteretur, sed hortatu suorum legem antiquat. At in iudices muneribus corruptos inexorabiliter severus. Ad publica munia promoveri vetat eos qui mercimonia & artes aliàs exercent.

*Anno 48. Lun. 2. die ult. Eclipsis Solis.*

*Anno 57. motus terrae universalis. Anno 58. Lun. 2. Eclipsis Solis.*

*CYCLUS LVI. Annus post Chr. 604.*

Anno 1. CAO ÇU VEN TI, eò quòd destinasset primogenitum, etsi inutilem, haeredem imperii, occisus in aula à filio secundo, aet. 64.

## **2. YAM TI, regn. 13.**

Anno 2. succedit YAM TI filius natu secundus, parricida & fratricida: vir magnis dotibus inclutus, prodigus, luxui immodicè deditus. Aulam paternam ex prov. *Xen si* in provinciam *Ho nan* transfert. Duo excitat horrea prodigosae magnitudinis, alterum caveis ter mille & ambitu leucarum duarum. Septum curat extrui 15. leucarum ambitu, palatia & hortos, ubi obequitantem numerosi pellicum equitantium greges sequuntur cum cantu & musicis instrumentis. Fluvium *Hoam ho* trajicere parantem, classis ornatissima per 40. & ampliùs stadia seu 4. Leucas disposita deducit.

44. Satrapiae & regna Barbarorum Occidentalium & Borealium clientelam deferunt. Armorum usum plebi interdicit, qui mos hodieque viget. Ad muri Sinensis restaurationem millio hominum adhibitus scribitur.

Operâ 100. litteratorum libros de re militari, politicâ, medicâ, rusticâ castigari, & denuò recudi jubet: de sortilegiis verò & sacris Bonziorum 17. millia voluminum prodierunt. Gradum doctoratus instituit, qui huc usque perseverat tam in civilibus quàm militaribus. Lustrans per se ditiones comitatum habet 80. millium. Coreanos 12. centenis millibus tam mari quàm terrâ domare frustra tentat, desideratis ferè omnibus & residuis dumtaxat bis mille 700. Renovatâ in Coreanos expeditione, hi tandem clientelare obsequium missis legatis degerunt. Praefectum in prov. *Xan si* creat. Hic sequentis familiae erit conditor.

Anno 13. YAM TI dum lustrat Austrum occiditur, aet. 39. à plebeio *Hoa kie* dicto, in urbe *Yam cheu* prov. *Nan kim*. *Li yuen* Dynasta exercitu 120. millium comparato imperium usurpat votis communibus.

## 2. CUM TI, regn. 1.

Anno 14. succedit CUM TI nepos CAO ÇU VEN TI à [53] *Li yuen* in solio collocatus, & paulò pòst depositus. *Suy* duodecima familia extinguitur. *Li yuen* filius natu secundus paternis auspiciis bellum gerens, aulam capit. Ibi contemplatus aedes regias inusitati splendoris & majestatis, ingemiscens, ait: *Opus, quod hominis animum dissolvit ac pessumdat, & exhausisse videtur cupiditatem cordis humani, utique nefas est diutius persistere.* Sine morâ igitur totum in favillas redigi jubet.

## XIII. Familia.

### 1. XIN YAO TI, regn.9.

Anno 15. XIN YAO TI (aliàs *Li yuen*) è Reguli Si leam nepos ordine septimus fundat, familiam decimam-tertiam *Tam*, cujus ditionis erat Dynasta; hæc tenuit 20. Imperatores per annos 289. Suppliciorum acerbitatem & vectigalium onera moderatur. Erigit templum *Lao Kiun* tanquam idolo.

Anno Imperii 6. debellatis rebellibus, totius Monarchiae dominus evadit. Ex unâ æris unciâ decem nummos cudi jubet, cum binis litteris *tum pao*: hæc moneta unica hodieque in usu est. *Fu ye* Colaüs auctor est, ut 100. Bonziorum millia cogat uxores ducere ad militiæ sobolem: annuit Imperator.

### 2. TAI ÇUM, regn. 23.

Anno Cycli 23. XIN YAO TI Imperium filio resignat, novem post annis moritur æt.70. Anno 24. succedit TAI ÇUM filius natu secundus, de quo plura hîc afferimus, quòd ipso imperante lex Christiana Sinam sit ingressa. Princeps fuit omnibus numeris absolutus, pius, prudens, amans moneri, frugalis. Octo tantùm edulia mensæ adhibet. Tria millia fœminarum è palatio dimittit.

Libros undique conquiri jubet. Academiam in aulâ restaurat, in quâ octo mille discipuli, & hos inter exterorum Principum filii numerati sunt. Magistros inter eminebant *Xe pa hio su*, id est, octodecim studiorum præfecti: imò & militarem Academiam, jam ante ab Rege Boreali introductam, instituit. Quin & militare Gymnasium, ubi ars jaculandi exerceretur, ibidem extrui & ipse frequentare voluit; verùm cùm non probaretur id Colais, quòd dicerent inusitatum effe, & alienum videri à tanta Majestate, necnon cum periculo conjunctum: *Ego, inquit, hoc Imperium meum considero, sicut pater quispiam familiam suam; subditos vero omnes, velut tenellos infantes ex me progenitos sinu meo complector; quid igitur, pertimescam?* Ad latrocinia impedienda volebat populo omnia affatim esse ad vitam: *Regnorum salus*, inquebat,

pendet à populo, hunc deglubere et exhaurire ut Rex abundet, tantundem est ac si quis suam ipsius carnem in frusta conscindat, ut eâ ventrem impleat: venter augetur, ac impletur; at corpus minuitur, marcescit, perit. Quam deinde sententiam declarans, *Multi Regum, inquebat, à se non ab aliis pereunt: cupiditas exitio est; etenim dum huic saturandæ sumptus sunt immensi, protinus oritur augendorum vectigalium necessitas; ex hac populi totius afflictio: afflicto vexatoque populo, quis neget periclitari [54] Regnum? Periclitante Regno, quid pronius quàm perire Regem? caput unà cum suo corpore: hæc ego dum considero, non audeo laxare fraena cupiditatibus meis.* Constitutos ab se Judices ac Magistratus munera vetuerat accipere, pœnâ capitis propositâ; exploraturus ergo suorum fidem, hominem adornat, qui munus Praefecto offerat. Hic admittit, fit ipse certior, jubet interfici; verùm Colaesus, *Est ille quidem nocens, inquit, O Rex, sed neque tu innocens, qui eum per insidias ad violandam Legem pellexisti.* Pepercit reo Imperator.

Altero post anno cùm praefectus militum supremus, munus è veste serica accepisset, cognitâ re Imperator ei magnam vim misit vestis sericae, mirantibus verò aliis, & ad supplicium deposcentibus hominem: *Supplicium, inquit, acerbius ipsa morte suus illi rubor erit, hoc eum lentè cruciari volo.* De minimis quibusque rebus vult commonefieri dicens, *Ab his ad majora gradum fieri, adeoque à minimis pendere Imperii conservationem.* De argenti fodinis factus certior, illas vetat aperiri, dicens, *Auro & argento cariora mihi sunt meorum verba & consilia, quae ad Reipublicae emolumentum suggeruntur.*

Quotiescumque vel coeli siccitas, vel imbrium copia famem & vastitatem minabatur, exemplo priscorum Regum edicto jubet enuntiari quid abs se, quibusve in rebus peccetur: auguriis interim nullam dat fidem; itaque cùm fortè ciconiae nidificantes coram ipso, alâ rostroque plausissent, quibusdam procerum felicitatem ei inde augurantibus, subridens ipse, *xui cai te bien, inquit, id est, Auguriorum felicitas in hoc sita, ut sapientes habeam;* quo dicto protinus jussit nidum dejici. Audiens laudari armamentarium suum, & ei, quod praecedens familia *Suy* instruxerat, anteponi, *Mihi, inquit, subditi mei pro armis sunt, quandiu suo Principe & pace gaudent; ubi hac duo familiae Suy defuerunt, nec arma fuerunt usui.* Cùm praeceps & inconsideratior fuisset in uno clientum suorum ad mortem condemnando, legem condidit, ne quis antè plecteretur quàm datis ter codicillis causa rei iterum atque iterum fuisset cognita.

Secundo Imperii anno cùm locustae grassarentur, jamque fames timeretur, ingemiscens Imperator, *Ex messa, inquit, quam vos absumitis pendet vita meorum? Ah! Quantò malim consumi à vobis viscera mea.* Haec fatus unam locustarum vivam deglutivit. Narrant locustas eo anno stragem vix ullam messi intulisse. Audierat *Li hium* clientem suum aegrotare, & morbo curando pilos barbae redactos in pulverem praescriptos à Medico, Imperator ex suâ ipsius barbâ pharmacum parari jubet, & aegroto offerri, qui illo usus convalescit. Didicerat ex libris medicis *HOAMTI* Imperatoris, quòd laesis humeris ac dorso nobiliores quoque partes ex interioribus facilè

offenderentur; itaque Legem [55] tulit, ut qui rei essent, non in dorso, sed in femoribus vapularent, quae Lex hodie viget.

Anno quarto & c. cùm floreret ubique messis, & magna quies à finitimis barbaris, *haec duo*, inquit, *magna quidem mihi sunt voluptati, sed angit me res una, quòd diuturna felicitas negligentia superbiaque mater sit*. Eum qui capesseret Imperium, docebat *similem esse aedificanti domum, quam ruinae periculo expones, si jam fundatam et bene constitutam denuo velis immutare: ita Imperio jam constituto, bonisque firmato legibus, à novitatibus abstinendum*. Aliàs, Rex, inquit, *morbo medentis est instar: discordia, perturbatio, bellum, Imperii est morbus, qui tametsi jam sit depulsus ab Imperio meo, magna tamen populi convalescentis habenda est cura, ne relabatur in pristinum morbum, et cui deinde nullâ queat mederi industria: pax alta nunc terras obtinet; parent nobis Barbari, nec tamen sollicitus esse desino ut primus ultima respondeant, quocirca vos docete me, monete, reprehendite*. Ad haec Colaüs Guei chim, *Ego quidem, ô Rex, non tam gaudeo de pace florentis Imperii, quàm quod Kiu ngan su guei, hoc est, pacis tempore, periculi vivas memor*.

Aliàs item, *Vulgò*, inquit, *dicitur Imperatorem maximè verendum esse, nec habere quod pertimescat: at ego sanè vereor providentiam Imperatoris Coeli, quae ad nos usque pertingit, et simul vereor oculos omnium subditorum ad me unum conversos: itaque sic angor, et sic invigilo moni ipse, ut qui nec coeli voluntati, nec desiderio populi adhuc responderim*. Aliàs rursus, *Audivi*, inquit, *in Occidente reperiri Barbaros, qui si gemmam pretii majoris invenerint, haud dubitent eam convulnato corpore intra cutem recondere, nos autem ridemus illos & meritò: verùm si nos ipsi dum servivimus cupiditatibus nostris, regnum amittimus, si clientes nostri dum fidem justitiamque vendunt muneribus, in ultimum vitae discrimen se conjiciunt, nonne majori jure vel ab ipsis Barbaris ridemur?* Siccitatis tempore solaturus afflictum populum, recludi jubet carceres, & communem noxarum veniam promulgari: docet tamen rariùs hoc clementiae genere utendum esse Principi, ne cùm proborum damno foveatur, & invalescat improbitas: zizania, segeti ne noceant, utique eradicanda.

Anno septimo custodias adit publicas & per se lustrat; è vinctis trecenta & nonaginta, qui omnes capitalis noxae rei erant, ad tempus dimittit, jussos, ubi messem collegissent, ad statum reverti: revertuntur ad unum omnes praestituto tempore; admirabundus ac laetus Princeps vitam omnibus cum libertate donat.

Tredecim viros idoneos ad cuncta coram inspicienda per omnes Regni partes amplissima cum potestate dimittit, mandans ut severè in Praefectos Urbium & Provinciarum inquirant.

Memorant Chronica anno Imp. octavo pervenisse ex longinquis regionibus variarum gentium legatos, [56] oris habitu corporisque admodum peregrino, & nunquam antea Sinis viso: quin adeo gloriatum fuisse Imperatorem, quòd suis primùm temporibus homines capillo rufi, oculisque viridibus (glaucos interpretor) Ditionem

Sinicam adiissent. Certum videtur eos ipsos fuisse, quos lapideum in provinciâ *Xen si* monumentum effossum anno 1625. aetati nostrae prodidit, disertè referens & annum eundum, & imaginem S. Crucis, & legis Christianae compendium caractere Sinico, & nomina 72. praeconum Syriacis litteris insculpta lapidi. De hoc consule Kircheri Sinam illustratam, & vetus Manuscriptum Arabicum quod asservatur in Regiâ Galliarum Bibliothecâ, ubi disertè scribitur circa idem tempus missos esse Evangelii praecones in Sinam à Catholico Patriarcha Indiae & Sinae, qui in urbe *Mossue* degebat.

Anno 9. Dicti legati in urbem Regiam *Cham ngan* hospitem ritu deducti sunt à *Colao fan Hiuen lim*, de quo & in Chronicis & in dicto Lapide fit mentio honorifica.

Anno 10. obiit Regina *Cham sun*, litterarum peritiâ, pietate ac prudentiâ celebris; itaque dum vixit, in nullum ex domesticis regiis gravius animadversum est, raro prorsus exemplo. Offenderat aliquando Principis animum *Colaus Guei chim*, crebrius importuniusque eum monens, jamque ab illius aditu & conspectu arcebatur; inaudiit Regina, adit extemplo conjugem, sed inusitauo cultu ornatuque corporis, & instar gratulabundae. *Audivi, inquit, saepenumero, mi Rex, quod ubi datur Imperii gubernator sapiens atque perspicax, subditi quoque dentur veraces et recti: rectus et verax est Colaus tuus, nimirum quia tuipse tam eximiâ es sapientiâ et perspicacitate, hunc ego tibi gratulatura venio.* Placavit offensum opportuna dilectae conjugis gratulatio. Librum ipsa conscripserat de recta Gynecaei institutione triginta constantem capitibus; hunc postquam extincta est, lacrymabundus Imperator coram suis accipiens in manus: *Norma, inquit, centum saeculorum continetur hoc Volumine; scio quidem luctum hunc tam acerbum coeli nutu mihi evenisse, neque jam esse quo illi medear; sed enim dum reminiscor adjutricis tam fidae, cuius praeclara monita consiliaque nunquam posthac auditorus sim, an ego ferre desiderium, an temperare lacrymis possim?* Amoris interim ac doloris magnitudinem Mausolaeum declaravit ipso illo, quod extruxerat suo patri, magnificentius (uno quippe antè anno pater decesserat.)

Cùm itaque die quodam Colaum *Guei chim* in editiorem ducens locum, Mausolaeum conjugis eminens conspicuum digito monstravisset, Colaus dissimulans ab se visum esse: *Existimabam, inquit, o Rex, contemplari te et indicare sepulchrum patris: nam conjugis quidem diu est quod vidi.* Lacrymas elicuit Principi vox ista, qui non ignarus quid illâ carperet, destrui jussit Reginae [57] Mausolaeum. Usque adeo filiorum pietas vincit apud Sinas amorem conjugalem!

Anno Imp. 11 puellam familiae *Vu xi* quatuordecim annos natam, quòd admodum praestantis esset formae & ingenii, in Aulam admittit, & titulo de more donat honorifico. Post annos aliquot tyrannidem exercebit haec puella imperandi jure contra fas sibi vindicato.

Anno 12. mense septimo, Imperator (uti constat ex monumento supradicto) dato diplomate Divinam Legem per Imperium totum promulgari permittit; fundum largitur extruendo Templo in urbe regia.

Anno 17. moritur Colaus *Guei chim*. Elogium fidissimi Clientis scribit ipsemet Imperator, & sepulchro jubet incidi; conversus deinde ad suos, *tria sunt, ait, specula*

*mortalibus, unum ex are, ad quod pileum suum vestemque suam aptè componunt; alterum ex veterum libris et monumentis, in quo contemplantur ortus Regnorum et incrementum, et occasus; tertium sunt mortales ipsi, quos si consideres attentius, facile disces quid ipse pecces, quid te fugere, quid prosequi par sit: et ego tribus hisce speculis adhuc quidem sum usus, & nunc (proh dolor) amisi tertium functum vitâ; Colaum designans. Aliàs, Est, inquit, Principi cor unicum. Sed qui hoc oppugnant plurimi: et alii quidem studio quodam fortitudinis gloriaque bellica id oppugnant; alii deliciis et cupiditatibus; hi doctis contentionibus et cavillationibus, adulatione et blanditiis; illi dolis item mendaciisque non pauci; tam variis artibus machinisque pugnantium una ferè cura est, ut gratiam Principis acquirant, adeoque opibus et honore augeantur: quisquis ergo de perpetua quadam cordis vigilantia paulum remiserit, quàm pronum erit à se vinci et perire!*

Anno 19. contra Coreanos qui defecerant, expeditionem suscipit, sed conatu irrito. De via sepulchrum vidit Colai *pi can*, qui olim tuendae veritatis causâ ab impio *Kie* fuerat occisus: ornat ipsum perhonorifico titulo *Yn tai su*, id est, Magni Magistri familiae *Yn*.

Anno 21. puellam *Sin hoei* dictam, Colai filiam, litteris & ingenio claram, in consortium thori sui admittit, & sapientis titulo exornat. Narrant eam quinto post ortum mense coepisse fari; quarto aetatis anno libros *Confucii* tenuisse memoriâ; octavo scripsisse appositè variis de rebus: hoc certum, in legendis libris fuisse assiduum. Eodem anno trecenta millia militum rursus in Coream destinat, verùm cùm ipse paulò post diem obiret, optimatum consilio intermissa expeditio est. Rara fuit huius Principis & cura & industria in liberis instituendis, ex obviis quibusque rebus apposita petens ipsis documenta. Cùm orizâ vescebatur, meminisse jubebat quanto sudore illa colono constitisset, [58] sic enim fore ut nunquam eis deesset. Cùm navigabat, *Aqua, ut videtis*, inquit, *sustentat naves, et ea potest navem submergere: aqua populus est, Rex navis*. Aliaque his similia.

Uno ante mortem anno duodecim monita, quae litteris viginti-quatuor continebantur, filio dedit; monita haec erant: *Tutè, fili, fac regas*, inquit; *honores quos conferre par est, in propinquos confer; accerse sapientes; examina Magistratus; audi monentes; repelle detractores; fastu abstine; moderatio parsimoniaque cordi sit; praemia suppliciaque meritis respondeant; curae sint res agraria, res militaris, civilis & litteraria. Tu, o fili, petes à priscis Regibus exempla gubernandi; nam ego is non sum qui tibi ad exemplum sufficiam: medium ut attingas, summum pete; excides medio, si collimaris dumtaxat in medium. Multis in rebus à me peccatum est ex quo imperare coepi: sed tu vires contende, ut quae ages, agas recte, et constabit Imperio pax sua: quòd si fueris superbus, si iners, si prodigus et dissolutus, non Imperii modò, sed tuiipsius jacturam facies.*

Anno 23. Mense quarto, cùm morbus ingravesceret, haeres Imperii filius diu noctuque assidebat patri, cibo etiam aliquot per dies abstinens & canescens prae cura

& moerore, quod obsevans pater, lacrymas tenere non potuit, filiumque intuens: *Quorsum, inquit, mori me pigeat, Fili mi, quanda tanta est erga me pietas tuo?*

### 3. CAO ÇUM, regn. 34.

Eodem anno qui fuit Cycli 46. TAI ÇUM moritur aetat. 53. Anno 47. succedit CAO ÇUM decessoris filius nonus. Anno Imperii 5. ardet Imperator studio visendae *Vu xi* puellae, quam pater in concubinam admiserat : illo autem mortuo coenobiticam Bonziorum vitam cum aliis ejusdem sexûs professa degebat in fano: fanum adit, puellam reducit ad palatium; & quòd prole masculâ careret, repudiat reginarum alteram, & ipsam Imperatricem, frustra obnitentibus Colais, etiam propositâ capitis & fortunarum jacturâ, & officii sui abjectis insignibus. Publicè ad solium evecta cùm observasset Imperatorem earum adhuc meminisse quas repudiarat, praecidi jubet ambabus & manus & pedes, & aliquot post diebus utriusque caput, quo facto feralibus umbrarum manibus, furiarum prope ritu quocumque se verteret terrorem noctu diuque ingeminantibus, loci mutatione remedium petere cogitur: transactis interim sex annis, Imperii regimen, suis Imperator committit amoribus, eò quoque insaniae deveniens, ut ei *Tien heu*, hoc est reginae coeli, hactenus inauditum nomen contulerit. Ad solium evecta, filium ex se primogenitum veneno sustulit, id unum agens, ut fratris filios adeoque familiam suam ad Imperium si posset eveheret, quod secus accidit.

*Anno 13. Lun. 5. anno 17. Lun. 8. anno 24. Lun.3. intercalari, anno 27. Lun .7. anno 31. Lun.5. anno 35. Lun.2. [59] intercalari, anno 40. Lun. 6. anno 45. Lun. 8. & anno 54. Lun. 5. die ult. Eclipses solis.*

*CYCLUS LVII. Annus post Chr. 664.*

Anno Cycli 6. à Coreanis tandem defertur clientelare obsequium. Ex monumento lapideo constat fuisse hunc Principem legis Christianae fautorem, pluribus locis exstructa templa vero Numini; per decem item provincias fides propagata; confertur quoque titulus honorificus cuidem *Olo puen* dicto.

### *Vu heu* intrusa, regn. 21.

Anno 20. CAO ÇUM moritur aet 56. Anno 21. succedit per vim *Vu heu* Regina, vafra, crudelis, litterarum tamen studiosa; filium suum eundemque haeredem designatum repudiat, creatque Regulum in prov. *Hu quam*, tertio filiolo in ius locumque fratris nomine tenus subrogato. Crudeliter saevit in praecipuas quasque familias, quòd suspicaretur sibi non favere: fuit dies quo 850. neci dati.

Anno huius 15. impium coepit bellum contra legem Christi, uti constat ex lapideo monumento; duravit 15. circiter annis persecutio. Eodem anno *Tie* Colaus gravibus verbis Reginam monet, ut à 14. annorum exilio revocet filium à CAO ÇUM Imperatore nominatum haeredem, causam afferens, quòd inauditum sit ut in aulâ parentali majorum, ex aliena prosapia oriundi Imperatoris nomen inferatur à posteris non agnoscendum: ex prov. *Hu quam* revocatur itaque, & per 7. annos in palatio Orientali residet, donec defunctâ matre sollum conscendat.

#### 4. CHUM ÇUM, regn. 5.

Anno 41. *Vu heu* moritur aet. 81. Anno 42. succedit CHUM ÇUM filius CAO ÇUM, otio & veneri deditus. Imperatrici *Guei* exilii sui fociae fideli regimen committit; haec autem auctore *san su* aulae Praefecto, cum quo turpiter vivebat, filium suum *Xam* dictum molitur subrogare. Non tulerunt hoc Reguli & Principes, sumuntur arma.

Anno Cycli 46. Imperii 6. CHUM ÇUM veneno sublatus moritur aet. 55.

*Xam* in solio collocatur. Regulus patruus aulam invadit. Regina *Guei* cum filiâ obtruncatur. *Xam* adolescens ultro se dedit, & patruo cedit Imperium, à quo Dynastia ditionis *Ven* creatur.

#### 5. JUY ÇUM, regn. 2.

Anno 47. Succedit JUY ÇUM filius CAO ÇUM, decessoris frater ex *Vu heu* Reginâ.

#### 6. HIUEN ÇUM, regn. 44.

Anno 48. JUY ÇUM moritur aet 55. Anno 49. succedit HIUEN ÇUM decessoris filius natu tertius, bonae indolis Princeps, rara moderatione animi, publicique boni studiosus, valde item religionsus. Familiam suam *Tam* propè collapsam quadantenus restaurat, hinc magna pax per 30. ferè annos. Eunuchorum unum *CAO lie su* palatii Praefectum primus creat, ignarus scilicet quanta & suae & aliis Imperialibus familiis mala pareret tot Eunuchorum ad publica munia evectorum potentia.

[60] Divina quoque lex denuo vigere coepit, & frui pace per tres deinde, qui successere Principes continuata, uti testatur monumentum lapideum, quo insuper Praefectum *Cao lie su* cum muneribus missum (inter quae imagines erant quinque Philosophorum Regum) ut ea in templo quod Evangelici praecones vero Numini consecrarent, offerrentur.

*Anno 2. Lun .3. intercalari, die ult.anno 6. Lun . 6. anno 11. Lun.3. anno 17. Lun 11. anno 22. Lun 2. anno 28. Lun. 4. anno 31. Lun. 9 .anno 37. Lun. 5. anno 40. Lun .9. Titalis, anno 44. Lun 12. anno 49. Lun. 9 . &anno 56. Lun .5. Eclipses Solis.*



*CYCLUS LVIII. Annus post Chr. 724.*

Aurea argenteaque vasa, vestes auro textas & alia ejusmodi nimium luxum praeferebant, ante fores palatii flammis aboleri jubet, ut crescentem in dies cupiditatem extingueret, exin Imperatrix & Reginae vulgari vestis usu tunc usae, unionum piscationem interdicit, usque adeò fidens & amans quatuor fratrum Regulorum, ut in eodem secum strato dormiret, noctesque confabulando transigeret. Hinc lectus ille stratum quinque Regum dictus. Aegrotante fratre potionem medicam coquebat ipse, & dum fortè ad foculum barba ambureretur, adstantibus, *sinite*, inquit, *dummodo convalescat frater, jactura barba quid refert?* Regium Collegium *Han lin yuen* dictum eminentium scholae Doctorum 40. instituit, qui veluti Magistri Regii in aulâ resideant, & è quibus seliguntur Historiographi Regii, Visitatores provinciarum, Praetores & Proreges, & c. Libros veteres de militari scientia conquiri jubet, & novos edi. Visit natalem domum *Confucii*, cui titulum *Ven siuen vam*, id est, *rei litterariae illustris regis*, impertitur. Discipulos ejusdem Philosophi nec non heroes inclyros variis honorum titulis ornat.

Colaüs *Yuen chao* monita Regi offert, quae inter erant, ut Eunuchos à publicis muneribus removeat, ut consanguineos ad dignitates cum potestate conjunctos non evehat, ut duas sectas *Foe & Tao* idololatricas prorsus extinguat, & c. Imperator non audit.

Duces bello claros & optimè de Imperio meritos, etsi non essent è sanguine regio, primus titulo Reguli donat. Lustrat Imperium quod *Tai cum* in decem diviserat, ipse in 15. Provincias vult divisum. Praecipui Praefecti è toto numerati 17686. minoris verò notae Praefecti 57416. *Van yu* Regulus auctor est fratri, ut pro vestibis pannisque sericis & massis argenti in exequiis idololatricis pro alterâ vitâ consumi solitis, deinceps è papyro factae crementur, qui usus à Bonziis & sectariis *Lao kiun* (cuius statuam solenni pompâ in palatium introduxerat) hodieque observatur.

Sub finem omnia in pejus ruunt, fuerant cum uno praelio 40. altero 70. Item altero 200. (si fas est credere) [61] Sinarum milia desiderata, nec erat qui tantae cladis certiolem faceret Imperatorem, Eunuchis aditus omnes occupantibus. Prae aliis rebellat *Ngan lo xan* exterus Princeps, ab Imperatore ad summa quaeque & armorum quoque praefecturam evectus. Hic victoriis insolens, partem magnam Septentrionis occupat, titulo Imperatoris per nefas usurpat.

Anno 33. magna latronum vis emergit, à quibus stragem accipit Imperator, desideratis suorum 40. millibus. Unde compulsus fugere in *Su chuen* provinciam. Damnatur Imperator, quòd uxorem repudiaverit, & nurum nuptam suam fecerit, occisis etiam levi de causâ filiis tribus.

**7. SO ÇUM, regn. 6.**

Anno 34. SO ÇUM decessoris filius, vivo etiamnum patre capessit Imperium: Princeps bellicosus & saepius victor, delevit latronum exercitus duce *Co cuy* Colao. Patrem è *Su chuen* ad aulam magno cum honore reducit, qui anno Cycli 38. moritur aet 78. *Ngan lo xan* diripit aulam *Chan nagan*, & regios thesauros in *Lo yam* deportari jubet: elephantibus quoque & equos centum, ad numeros musicos saltare edoctos, & craterem, quem bucca praeferebant, Imperatori quondam offerre solitos inter convivium: quod cum coram se ut facerent, adduci non possent, jussit omnes interfici: sed ipsemet non diu post à filio interfectus in lecto, perfidiae suae poenas dedit. Parricida mox à belli Duce *Su mum* occisus, sed & hic, quod minorem natu haeredem dynastiae suae nominare vellet, à primogenito obruncatur.

## 8. TAI ÇUM, regn. 17.

Anno 39. SO ÇUM moritur aet 52. Anno 40. Succedit TAI ÇUM filius, indolis liberalis. Initia sub hoc prospera, sed postmodum quinque Dynastiae contra jus suam sibi vindicant & tuentur ditionem, Fana mille Bonziorum & totidem Bonziarum visit Imperator.

*Fu hu cien* Praefectus morti proximus caput radii jubet, more Bonziorum & habitu sepeliri volens: quod exemplum alii dein sunt secuti sub familiâ *Sum* decimânonâ. Fuit qui offerret Imperatori glirem simul cum felicula, ambo sugentes lac ex eadem fele. Gratulantur munus adulescentes, ad quae *Yen fu* Colaus : *quae res*, inquit, *ô Rex, naturae ordinem haud sequuntur; justum gratulandi argumentum non praebent. Hoc age ut cum barbaris & latronibus clam non ineatur commercium; adulteria caeteraque flagitia non sint impunita, tollantur monstra, tunc gratulandi erit locus.*

Anno Imperii 8. Supra 200. Milia Tartarorum Borealem Chinam invadunt, ac tandem onusti spoliis domum redeunt. Imperator è fuga in aulam reducit à *Co cuy*.

In monumento lapideo fit honorifica mentio *Co cuy* belli Ducis. Refertur ibidem Imperatorem pretiosa odoramenta in natali Salvatoris obtulisse, simul etiam [62] dapes ad templi ministros misisse.

## 9. TE ÇUM, regn. 25.

Anno 56. TAI ÇUM moritur aet 53. Anno 57. Succedit TE ÇUM filius, minutiis intentus, naturâ timidus, suis diffidens, adulatione gaudens. Peregrina munera quibus felix omen captabatur, admitti vetat, dicens, *optima peti auguria ex viris sapientibus.*

Anno Imperii secundo sculptum erectumque monumentum lapideum, de quo suprâ.

*Anno 1. Lun. 12. Intercalari, anno 6. Lun. 10. Anno 9. Lun. 8. Anno 15. Lun. 9. Anno 19. Lun. 7. Anno 23. Lun. 5. Anno 33. Lun. 10. Totalis, anno 36. Lun. Totalis, anno*

45. Lun .3. & anno 52. Lun .10. Eclipses Solis.

CYCLUS LIX. Annus post Chr. 784.

*Co cuy* belli Dux natus annos 85. diem obit. Quatuor Imperatoribus servivit, adeo bene meritus de Imperio, ut scribant per annos 1300. paris fidei nullum extitisse. Evectus ad summa, nullius sensit invidiam, inter summas opes non fuit qui in eo crimen notaret. Has opes liberalissemè expendebat. Habebat tria millia famulorum. Octo filios reliquit gesto magistratu claros. Mortuum luxit China per triennium.

Ob nimiam tot Eunuchorum potentiam & insolentiam rebelliones insurgunt. *Li hoai quam* belli Dux ab Imperatore deficit, qui mox fugere compulsus est in *Han chum* urbem prov. *Xen si*: sed tandem domiti rebelles & barbari cis & ultra Croceum fluvium. Cùm Imperator tot bella & calamitates fatis attribueret, diceretque à judiciariis multa sibi praenuntiam, Colaus *Li mie*: *Alii*, inquit, *o Rex*, *de fato didderant licet, at te certè nosque ipsos haud par est sermones huiusmodi usur. Pare: etenim prout nos rempublicam vel justè recteque vel perperam administramus, ita fabricamus ipsi nobis ac populo fatum vel fortunatum vel infortunatum.*

#### 10. XUN ÇUM, regn. 1.

Anno 21. TE ÇUM moritur aet 64. Anno 22. succedit XUN ÇUM filius, qui specimen boni Principis dedit; sed quòd morbo immedicabili & sordido laboraret, filio committit Imperium.

#### 11. HIEN ÇUM, regn. 15.

Anno 23. XUN ÇUM moritur aet 46. Eodem anno succedit HIEN ÇUM filius, prudens, & prompti consilii. Fame laboranti populo liberaliter opitulatur, in hunc finem varios per Imperium ministros legans. Conquiri jubet vitae immortalis herbam per sectatores *Lao kiun*.

Anno 36 excipit regio apparatus os digitale idoli *Fu è Xen si* allatum, nequidquam adversante Senatu Rituum supremo & ad flammam deposcente; quod dum tuetur pervicaciùs, indignabundus Princeps aliquos ad inferiorem dignitatis gradum dejicit, poenâ Sinas inter usitatissimâ.

Anno 37. HIEN ÇUM repente moritur aet .43. ab Eunuchis, ut creditur, veneno sublatus.

#### 12. MO ÇUM, regn. 4.

Anno 38. Succedit MO ÇUM filius. Amnistiâ indictâ incautè militem dimittit, qui ad latrones transit. [63] Paulatim Imperium vergit in ruinam.

### **13. KIM ÇUM, regn. 2.**

Anno 41. MO ÇUM auream potans medicinam moritur aet 30. Anno 42. Succedit KIM ÇUM filius, ab Eunuchis electus, dissolutis moribus, & totus effusus in jocos: quare Reginae matri ab Eunuchis commissa Imperii cura.

Anno 44. KIM ÇUM à venatione redux, dum mutandae vestis causâ in conclave se recipit, extinctis repente luminibus occiditur ab Eunuchis aet 18.

### **14. VEN ÇUM, regn. 14.**

Anno 45. Succedit VEN ÇUM filius MO ÇUM, electus ab Eunuchis. Litterarum & sapientum amans. Eunuchi subodorati insidias contra se, ferociter invehuntur in ministros militesque Regios. Ex his ceciderunt amplius mille, & familiae complures stirpitis extinctae.

### **15. VU ÇUM, regn. 6.**

Anno 57. VEN ÇUM moerore contabescens moritur aet .33. Anno 58. succedit VU ÇUM filius MO ÇUM, natu quintus, ab Eunuchis electus, relicto decessoris filio. Bellicosissimus Princeps ac prudens. Latrones & Barbaros domat. In seligendis idoneis ministris perquam vigil & accuratus. Sub hoc instituta aut renovata videtur lex, quae hodieque viget, ut singulis quinquenniis aut septenniis jussu Regio inquiratur in mores & vitia Mandarinorum qui in aula degunt: quin in more jam positum est, ut quotquot in aulâ munus aliquod gerunt; cum omni humilitate & veniae deprecatione debeant scripto confiteri quaecumque toto illo officii sui tempore delicta commiserunt, & hac occasione contingit, ut vel quia quid celarunt, aut ob asperitatem aut rusticitatem, ab officio aut gradu,dejiciantur aliqui; dissimulatis interim quandoque peccatis aliorum gravissimis, dum vel aurum & gratia vincit jus & aequitatem, & indulgentiam regiam provocat.

*Anno 4 Lun .8. Die 1. Anno.9. Lun 11.anno13. Lun .8, anno 18. Lun .5. Anno 24. Lun 7. Anno 32. Lun 8. Anno 39. Lun .4. Anno 53. Lun 1. & anno 60. Lun 2, Eclipses solis.*

*CYCLUS LX Annus post Chr. 844.*

### **16. SIUEN ÇUM, regn. 13.**

Anno 3. Moritur VU ÇUM aet. 33. Anno 4. succedit SIUEN ÇUM undecimi Imperatoris HIEN ÇUM nepos, praeterito decessoris filio electus ab Eunuchis, fortè quia à puero stupidus audiebat: at suscepto Imperio rara enituit in eo prudentia, consilium, moderatio, & quòd aemularetur virtutes secundi Imperatoris, dictus possim parvus TAI ÇUM.

Clam consulit de Eunuchis extinguendis. *Hu tao* Colaüs oblato libello suadet primò ut noxios gravioris culpaè inexorabiliter plectat, deinde verò neminem in locum mortuorum substituat, sic paulatim extingui posse eunuchos: verùm non multo post res fit palam, inde dissensiones inter eos & Praefectos Regios.

### 17. Y ÇUM, regn. 14.

Anno 16. SIUEN ÇUM haustâ ambrosiâ immortalitatis & vermibus scatens moritur aet. 50. Anno 17. succedit Y ÇUM decessoris filius, ab Eunuchis electus, superbus, prodigus, veneri luxuique deditus.

Anno Imperii 14. Cycli autem 30. reliquias *Fæ* idoli in palatium deferri curat mense quarto: mox ejusdem anni mense septimo Y ÇUM moritur aet. 31.

### 18. HI ÇUM, regn. 15.

Anno 31. succedit HI ÇUM filius decessoris duodennis; ab Eunuchis electus, penes quos summa rerum est. Crebrae defectiones Borealium, & latronum undique eruptiones, quae omnia scriptores isti accepta referunt reliquiis istis: offendit enim graviter litteratos, cùm intelligunt ossa demortui vel membra inter se separari aut dissociari, & hinc inde per partes distrahi, quod idem est ac violari corpora mortuorum: quae etiam ratio est, quod honoratiùs nobiliùsque reputent laqueo vitam finire, quàm capite minui.

*Hoam ciao* latronum dux aulam *Cham ngan* invadit, ferro & flammâ ubique saeviens. Fugit Imperator. Anno 45. *Like yum*, ditus *To yen lum*, id est, monoculus draco, 28. annorum juvenis & Dux copiarum Imperialium, cum latronum Duce confligit: primò victus, tandem eodem die tribus praeliis victor evadit. Ad aulam reducit Imperatorem: idem postmodùm alios rebelles armis feliciter domat, unde dynastiâ donatus regni *Cin*. Huius filius fundabit familiam decimam-quintam *Heu tam* dictam.

### 19. CHAO ÇUM, regn. 16.

Eodem anno 45. tertio post reditum in aulam mense HI ÇUM moritur aet 27. Anno 46. succedit CHAO ÇUM filius sextus HI ÇUM, ab Eunuchis in solio positus, ingenio non mediocri & fortitudine. Conatur Imperii res restituere, sed irritò conatu.

Cùm deliberat de tollendis è medio Eunuchis, ab his in conclavi includitur

Imperator, scriptis humi ejusdem peccatis: à Colao *cu yu* clam submissis armatis caeduntur Eunuchi, qui aliò priùs Imperatorem abduxerant. Reducitur hic in aulam: edicto Regio jubentur omnes interfici, triginta duntaxat pueris ad officia viliora reservatis. *Chu wen* Dux perfidus fidissimum Colaum *cu yu* perimit. Cogit Imperatorem aulam mutare in *Ho nan*, & aulam *Xen si* aequari solo.

Anno 1. Lun.3. Anno 5. Lun.5. Anno 11. Lun.1. Anno 20. Lun 7. Anno 33. Lun 9. Anno36. lun .4. Anno 45. Lun.3. Eclipses solis.

*CYCLUS LXI. Annus post Chr. 904.*

## **20. CHAO SIUEN ÇUM, regn. 2.**

Anno Cycli 1. CHAO ÇUM à perduelli *Chu uen* occiditur aet. 38. Anno 2. substituitur CHAO SIUEN ÇUM filius, qui se ultrò & Imperium usurpatori defert, à quo dynastiâ donatur, & anno 3. occiditur aet. 17. & cum eo decimatertia *Tam* familia extinguitur.

Sequuntur posteriores quinque falimiae Imperiales *Heu u tai* dictae, bellis, rebellionibus, parricidiis non dissimiles quinque familiis quae *Tam* familiam antecesserant, dissimiles verò annorum Principiumque numero: priores namque annos 198. Principes vero 24. Posteriores verò numerarunt sub 13. Principibus annos dumtaxat 53. quinque regna majora pro suo quaeque arbitrio dominantur. Gens *sie tan* dicta, coloniis Coreanorum quodam aucta, nunc *Leao tum* dicta, prae reliquis bello acris, sequentibus Principibus facesset negotium.

## **XIV. Familia.**

### **1. TAI ÇU, regn. 6.**

Anno 4. TAI ÇU, aliàs *Chunen*, fundat decimam-quartam familiam *Heu leam*, quae dos Imperatores & 16. Annos tenet. Aula *Pien leam* metropolis prov. *Ho nan*.

### **2.MO TI, aliàs KIUN TI, regn. 10.**

Anno 9. TAI ÇU à filio primogenito occisus aet. 62. Anno 10. succedit MO TI filius, natu tertius, postquam patricidam fratrem in praelio vicit & interfecit.

Ab anno Cycli 13. ordiuntur annos dominationis Boreales barbari, mutato nomine *Leao* dicti. Novem Principes succesivè numerarunt per annos 209.

## **XV. Familia.**

### 1. CHUAM ÇUM, regn. 3.

Anno 19. MO TI (caeso exercitu ab sequenti Imperatore) rebus desperatis se sponte perimit aet. 36. & cum eo perit familia. Eodem anno succedit CHUAM ÇUM filius monoculi, de quo suprâ. Fundat decimamquintam, familiam *Heu tam*, quae habuit 4. Imperatores per annos 13.

Aulam transfert in *Lo yam* prov. *Ho nan*.

Princeps bellicosus, & qui ad aerumnas bellicas jam callum obduxerat, otii & somni adeò impatiens, ut humi cubans campanam excitatricem è collo suspensam gestaret; at deinde comoediis ludisque se dedit, factus ipse quandoque comoedus, ut Reginas & neptes suas oblectaret, unde quod multa committeret indigna majestate Sinicâ, suis odio & contemptui fuit: tandem cùm orta esset inter milites seditio, anno Cycli 22. sagittâ ictus interiit aet. 35 casune, an industriâ, incertum.

### 2. MIM ÇUM, regn. 8.

Anno 23. succedit MIM ÇUM, extra fines Imperii natus, & à patre decessoris adoptatus, & à Satrapis electus. Princeps admodum religiosus, amans pacis, & cùm litteras ignoraret, tamen fautor litteratorum. Sub hoc Typographia coepit. Vespertinis horis quotidie coeli opem implorat his verbis: *Ego barbaros inter & ipse barbarus sum natus. Turbatis temporibus mihi collatum Imperium: unum desidero, ut coelestis Majestas cor applicet huic administratione, & submittat viros sapientes & sanctos, qui monitis suis atque consiliis mecum hoc moderentur Imperium.* Eunochos vetat ad officia publica evehi. Pax sub hoc Principe, & magna agrorum ubertas.

### 3. MIN ÇUM, regn. 1.

Anno 30. MIM ÇUM moritur aet. 76. Anno 31. Succedit MIN ÇUM filius decessoris. *Xe kim tam* gener Imperatoris MIM ÇUM convocatis auxiliariis copiis *Sie tan* barbarorum 50. millium, aulam occupant, è solio dejicit Imperatorem, ac deinde occidit anno aet. suae 45.

### 4. FI TI, aliàs LO VAM, regn. 1.

[66] Anno 32. succedit FI TI decessoris filius adoptivus, qui rebus desperatis mox fugiens in oppidum *Gui cheu*, inibi eodem incendio & gazas & sese cum familiâ absumpsit.

## **XVI. Familia.**

### **1. CAO ÇU, regn. 7.**

Anno 33. CAO ÇU gener MIM ÇUM, usurpato Imperio fundat familiam decimam sextam *Heu cin* dictam, quae sub duobus Principibus annis 11. stetit. *Sie tan* barbarorum ductor victori CAO ÇU Imperium non defert, sed sibi titulum assimit Imperatoris, quare CAO ÇU pacis amantior 16. civitates regionis Pekinensis *Leao tum* finitimas barbaris cedit praeter annum munus 300. millium sericorum voluminum. Ex hac barbarorum potentia consecutâ 400. & amplius annorum bella & strages in Imperio.

### **2. CI VAM, regn. 4.**

Anno 39. CAO ÇU moritur aet. 51. Anno 40. succedit CI VAM è fratre nepos, electus à Satrapis. Anno 43. rupto foedere barbari irrumpunt : mittitur belli Dux *Lieu chi yun* cum exercitu, quo sistat irrumpentes. Hic moras nectens capi sinit Imperatorem, qui dynastiâ donatur, atque ita familia extinguitur.

## **XVII. Familia.**

### **1. CAO ÇU, regn.2.**

Anno 44. usurpat solium CAO ÇU, aliàs *Lieu chi yuen*. Fundat Familiam 17. *Heu han* dictam, quae per quatuor annos duos principes numerat. Boreales barbari insolentiores facti, vastato Septentrione Austrum invadunt, sed cùm ubique occurrent frequentes latronum cunei, *non putabam*, inquit Dux ipsorum, *tam difficile esse domare Sinas* : quare spoliis onusti, in *Leao tum* redeunt.

### **2. YN TI, regn. 2.**

Anno 45. CAO ÇU obiit aet. 54. Anno 46. succedit YN TI filius decessoris. Mittitur *Co guei* Dux belli cum exercitu contra barbaros, quos praelio non uno fundit.

Anno 47. YIN TI in seditione à militibus occisus anno aet. 20. familia perit. Regina fratrem interfecti nominat, sed ductores exercitus victorem *Co gui* è Septentrione reducem, Imperatorem proclamant, & vexillis regii flavi coloris, qui solius Imperatoris est proprius, Principem cooperiunt, & in aulam adducunt, ubi à Reginâ, abdicato eo quem nominaverat, mox agnoscitur, cui deinceps veluti matri obedit & servit Imperator.

## **XVIII. Familia.**



### 1. TAI ÇU, regn. 3.

Anno 48. TAI ÇU, aliàs *Co guei*, belli Dux Imperator è familiâ tertiâ Chou oriundus, fundat 18. familiam, quam *Heu cheu* dictam voluit. Tenuit haec 9. annos sub tribus Imperatoribus. Adit *Confucii* sepulchrum, regios ei titulos delaturus, quibusdam negantibus deberi hujusmodi honores homini, qui etiam reguli fuisset subditus, *unò verò*, inquit, *non alio ritu celebrandus, qui & Regum & Imperatorum Magister est*. Sub hac, aut, ut alii multo ante, sub familiâ *Tam* 13. ingressi scribuntur Sinam Mahometani.

[67]

### 2. XI ÇUM, regn. 6.

Anno 51. succedit XI ÇUM filius adoptivus, progenitus autem è fratre Imperatoris. Laudatur à virtute militari & studiis litterarum. In palatio suo vult exponi aratrum & machinam textoriam, ne sudoris suorum oblivio subeat. Cùm ingens esset sterilitas & annonae penuria, jubet vendi orizam regiam vili pretio, nec nisi postea per solvendo: dicentibus praefectis numquam adeo pauperes fore solvendo: *at*, inquit, *nescitis me patrem esse, ipsos verò mihi filios? quis autem vidit patrem, qui filio fame laboranti opitulari nolit, nisi cum onere pretii rependendi?* Dynastae aliquot illi se subdunt: statuas aenas idolorum comminui jubet, ut nummi, quorum penuria tunc erat, cudantur.

### 3. CUM TI, regn. aliquot mensibus.

Anno 56. XI ÇUM moritur aet. 39. succedit CUM TI filius septennis, à patre commissus tutelae *Chao quam yu* viri bello inclyti, optimeque de Imperio meriti. Proceres & belli Duces cùm duos soles in coelo observassent, omen & ansam hinc petunt, jacentem in lecto tutorem, & nihil minus cogitantem salutant Imperatorem, vestemque flavam corpori circumdant.

## XIX. Familia.

### 1. TAI ÇU, regn. 17.

Anno 57. CUM TI è solio depositus, dynastiâ donatur. Familia Imperatoria *Heu cheu* desinit. Eodem anno TAI ÇU suscipit Imperium eâ conditione, ut mater sua primas ubique obtineat. Numeravit 18. Imperatores, ann. 319. primò in Septentrione per annos 167. sub 9. Principibus, & sub totidem in Austro per annos 152. Familia haec tot praecedentibus familiis adeo infaustis & turbulentis successit multo felicior ac magis

pacata, unde post tot turbines & vicissitudines secuta serenitas diuturna, ac multò diutius quoque duratura, si aeque amasset armatam ac togatam palladem.

TAI ÇU ex *Lo yam* aulâ & urbe provinciae *Ho nan* oriundus erat. Hoc nascente ferunt refulsisse cubiculum purpureo lumine, unde ex armorum praefecto factus Imperator, insignia sua voluit esse coloris purpurei. Regiam constituit in *Pien leam* Metropoli prov. *Ho nan*. Princeps prudentiâ, liberalitate, clementiâ erga victos & pietate erga subditos singulari.

*Anno 1. Lun 10. anno 9. Lun. 1. anno 20. Lun. 10. anno 24. Lun. 8. anno 27. Lun. 6. anno 34. Lun.1. anno 40. Lun. 4. anno 43. Lun. 2. anno 47. Lun. 11. anno 57. Lun. 5. & anno 58. Lun.4. Eclipses Solis.*

*CYCLUS LXII. Annus post Chr. 964.*

Decem regna inter se discordia cum Imperio conciliat. Quatuor valvas palatii quatuor mundi partibus obversas patere jubet assidue, dictitans *velle se suas aedes cordi suo esse consimiles, quod pateret oculis omnium subditorum*. Fastum vestium suis vetat, usu gemmarum filiabus etiam suis interdicto, exemplo praeit ipse habita vestium modesto ac propè vulgari contentus.

[68] Patrem, avum atavum, tritavum titulis imperatoriis donat, uti & matrem prudentiâ & modestiâ celebrem. Huic cùm gratularentur omnes, & mirarentur quòd nullum laetitiae sensum proderet: *audivi, inquit ipsa, quod regnare sit perdifficile. Filius si rectè se suosque regat, erit quòd gratulemini; si secus, non erit mihi tunc integrum, ne ad priorem quidem vulgaris foeminae conditionem reverti. Hinc angor ac moereo*. Uno post anno moriens filio praescripsit, ut nullâ filiorum habitâ ratione haeredem Imperii nominaret fratrem natu proximum, & ab hoc tertium, & deinde quartum: *quod enim, inquit, Imperio potiaris ô fili, non tam tuis meritis debetur, quàm quod familia superior Principem infantem reliquerit*.

Cùm in hyeme subiret memoria ac miseratio suorum, qui in Septentrione contra barbaros dimicabant, misit Praefecto armorum vestem regiam suam pelliceam, optare se dictitans ad singulos mittere. Dici non potest quantum animorum castris attulerit haec una vestis. Viros militares litteris operam dare jubet, & antequam ad gradum evehat, examini sisti, ubi de arte militari scribant, ac deinde etiam cursu, equitatuque & jaculo sese exercent, qui mos hodieque viget. Obsidebat *Cao pin* belli Dux urbem *Nan kim*, vidensque non diu posse resistere, morbum simulat. Anxii praefecti visunt decumbentem. Ibi remedia, ut sit, alii alia coram suggerunt. *Non aliud, inquit, morbo meo remedium magis praesens, quàm ut juramento vos obstrigantis, à civium caede prorsus abstinere*. Juratum est. Convalescit, urbs capitur, nec sine vi & caede, tametsi modicâ: sed haec ipsa Imperatori quoque elicuit lachrymas & hanc simul vocem: *miseranda conditio bellorum, qua numquam vacant caedibus etiam innocentiam!* Jussit

exemplò dispertiti in cives, 100. mille modios orizae.

Ad litterarum acuendum studium, Confucii natale solum adit Imperator, ejusdem conscribit panegyrim. Nepotem *Cum y* dictum ex stirpe jam quinta & 40. titulo dynastae donat.

Convivio saepe suos bene meritos excipit. Cùm die quadam *Lieu* Dynastae jam supplici facto poculum vini offeret Imperator, adverteretque vultu prodi suspicionem veneni, *quid trepidas*, inquit, *ego, si nescis, cor meum intra viscera meorum collocatum habeo, quo pacto igitur illud obruam veneno?* quae dicens ipsemet prior exhaustit.

## 2. TAI ÇUM, regn. 21.

Anno 13. TAI ÇU moritur aet. 50. Anno 14. succedit TAI ÇUM frater à matre moriente commendatus. Princeps pius, moderatus, amans litterarum. Bibliothecam 80000. Voluminum constituit. Leao tum barbaros armis aggreditur vario eventu. Obsidionem urbis praecipuae stratagemate solvit *Cham chi chien* Colaui militaris. Noctu trecentos milites unâ singulos taedâ instructos appropinquare jussit castris hostium, [69] & repentino isto lumine speciem praebere magni exercitus eminens advenantis, ingens pavor barbaros occupat, sit fuga, & caedes penè ad internecionem.

Anno Imperii 14 cùm pluviarum defectus esset, coelum supplex deprecatur, seseque reum calamitatis, profitetur, jubet dimitti incarceratos, & ecce ipso die pluit. Lun. 8. Cometes apparet. Jubet dapes iminui, publico abstinet, amnistiam indicit, & mox disparet Cometes. *Ecquis hic dicat*, (inquit Ethnicus interpres) *coeli voluntatem & decretum esse irrevocabile?*

## 3. CHIM ÇUM, regn. 25.

Anno 34. TAI ÇUM moritur aet. 59. Anno 35. succedit CHIN ÇUM filius natu tertius. Boni Principis specimen initio praebet; cùm Cometes appareret, vult de more moneri si quid peccet. Decem milliones aureorum remittit de vectigalibus, efflagitat identidem filium à Xam ti seu supremo coeli Imperatore, à quo tandem fuit exauditus.

*Liao tum* Barbari urbem obsident in prov. *Pe kim*. solvitur obsidio, suadetur prosequi victoriam, maluit populi pacem, & foedus cum victis, haud secus ac si vicissent, eâ scilicet conditione, ut quotannis 100. millia aureorum, & 200. millia sericorum voluminum dono mitterentur.

Anno Imperii 11. nuntiantur librum è coelo delapsum esse ad portam urbis regiae : pedes Imperator illum excipit venerabundus : erat is ex sectâ *Tao*, sortigeliis plenus ; credulus Imperator fanum ibidem extruxit, frustra obnitentibus Praefectis, qui cremandum suadebant. *Ad hoc tempore*, inquit interpres, *nihil fuit praeter illudere supremo coeli Domino.*

Recudi jubet libros veterum, & per Imperium dispergi.

## 4. GIN ÇUM, regn. 41.

Anno 69. CHIN ÇUM moritur aet. 55. Anno 60. succedit GIN ÇUM decessoris filius sextus è secundâ Reginâ. Imperatrix pro tredecenni administrat regnum, nec illud ante mortem, quae undecim post annos secuta est, dimittere voluit.

*Anno 2. Lun. 5 praenuntiata Eclipsis Solis non apparuit : hinc adulatoria gratulatio principi : id quia aliàs factum notans, hinc meritò suspectae Eclipses quaedam. Anno 5 Lun. 12. anno 11. Lun. 2. anno 14. Lun. 11. totalis, anno 18. Lun. 9. anno 28. Lun. 2. intercal. anno 39. Lun. 6. anno 43. Lun. 5. anno 46. Lun. 3. anno 49. Lun. 8. anno 51. Lun. 12. anno 52. Lun. 6. anno 56. Lun. 3. Eclipses Solis.*

[70] CYCLUS LXIII. Annus post Chr. 1024.

Princeps pius & re & nomine, pacis & populi quàm belli amantior, unde animi additi Barbaris renovandi bella. Cum iis pacem indignam suâ majestate init. è palatio ejicit idola omnia. Vetat sibi offerri munera peregrina, & rari pretii, & bene ominata. Colao *Liu* aegrotanti, cui praescriptus erat pulvis è barbae pilis, suam abradi jussam submittit.

Cùm inter dapes ferculum esset ex ostreolis 28. quarum singulae constiterant mille nummis cupreis, re cognitâ, *absit*, inquit, *ut complexu duorum paxillorum in eos gulosum ingeram 8. & 20. nummorum millia.*

Anno Imperii 26. cùm post magnam sterilitatem pluisset tandem, principique gratularentur proceres: *Omni*, inquit, *illo tempore quo aquarum penuriâ laboratum est, ego quotidie succensis ritè odoribus coelum deprecabar: noctè cùm audirem tonitru, surrexi de strato, cingulumque sumens & pileum, sub dio constiti, & simul atque pluit, procidit in genua, & salutans reverenter coelum, gratias eidem egi, ac sic demum ausus fui ad cubile meum reverti: nunc rem unam imprimis expeto, ut mihi fidenter significetis, quâ in re fortè peccem : etenim vereor ne inane geram nomen, & pluris quàm par est faciam apparatus exteriorem. O quam praeclarum est, & quanti refert vespere & manè afferre animum usquequaque parum, quoties coelum clam quoque & privatim deprecamur !*

Laudes suas commaculavit pius Princeps repudio uxoris; causa fuit desiderium prolis masculae. Multi hoc condemnant, alii probant, adductis exemplis: sed enim Colaas *Tao fu*, idemque è stirpe *Confucii*, petenda docet exempla à legitimis virtutum magistris *Yao & Xun*. Laudatur *Fu pie* Colaas, quòd operâ & consilio suo vitam servasset plusquam 500. hominum millibus fame contabescentibus.

*Hien çum* septimus Barbarorum *Leao tum* Rex per legatos repetit ditionis Pekinensis urbes decem, quas 18. familiae conditor vi & armis recuperaverat: mittitur *Fu pie* legatus; tandem Imperator pacis studiosor, quotannis spondet 200. aureorum millia, & 300 mill. sericorum voluminum, loco urbium, idque, quod probrosissimum fuit, cum littera *na*, quod pensionem tributariam denotat.

## 5. YM ÇUM regn. 4.

Anno 40. moritur GIN ÇUM aet. 54. Anno 41. succedit YN ÇUM è fratre decessoris decimotertio natus loco. Principem culti Imperatrice moderante Imperii habenas dissidentem prudenter reconciliat *Han ki* Colaas.

Floret Colaas *Su ma quam* inter Historiographos celeberrimus, qui ex bis mille voluminibus corpus confecit: orditur autem annales à HOAM TI Sinensis Monarchiae conditore.

## 6. XIN ÇUM, regn. 18.

Anno 44. YM ÇUM moritur aet. 36. Anno 45. succedit XIN ÇUM filius, Princeps majoris animi quàm [71] prudentiae. Favet litteris impensè : *Mencium* secundum Sinarum Philosophum posthumo Ducis titulo condecorat.

Floruere sub hoc & sequenti auctores novae Philosophiae, & veterum librorum interpretes *Cheu, Chim, Cham, Xao, &c* variis honorum titulis tam in vita quàm à morte ornati. Cùm tempore sterilitatis moestus Principes se in conclave reciperet, jejunio & solitudini vacans, placando coelo. *Vam ngan xe* Atheo-politicus, *quid*, inquit, *ô Rex affligeris? Non est quod coelum extimescas, calumnitatas casu, non consilio accidunt. Cui Fu pie* Colaas: *Si Princeps coelum non extimescit & reveretur, ecquid tandem erit quod non perpetret?* Idem *Fu pie* auctor est principi, ut ne immodicâ severitate & curâ exquirat quid ab suis peccetur. *Majora* inquiens *mala hinc nata existere. Coeli potiùs sit instar contemplantis omnia tam recta quàm prava; maximè cùm haec ipsa serius ociùs prodant sese, suumque referant vel praemium, vel poenam.*

Anno 1. Lun. 5. anno 5. Lun. 3. anno 10. Lun. 6. anno 15. Lun. 1. anno 19. Lun. 6. anno 22. Lun. 4. anno 29. Lun. 11. anno 31. Lun. 4. anno. 35. Lun. 8. anno 38. Lun. 6. anno 43. Lun. 9. anno 46. Lun. 7. anno 50. Lun. 4. & anno 59. Lun. 4. Eclipses Solis.

*CYCLUS LXIV. Annus post Chr. 1084.*

*Vam ngan xe* uti vir erat è supremâ litteratorum classe & versipellis ingenii, auctor fuit decem vectigalium instituendorum, quae res animos populi multùm exacerbavit. Succedit sterilitas, revocantur edicta & onera, & ecce profusis imbribus coelum remunerat clementiam Principis.

## 7. CHE ÇUM, regn.15

Anno Cycli 2. morituae XIN ÇUM aet. 38. Anno 3. succedit CHE ÇUM sextus filius. Hujus tutrix avia Imperatrix. à Colao libellus offertur 10. puncta 20. litteris commendans 1. Coelum time. 2. Populum ama. 3. Teipsum perfice. 4. Litteris vaca. 5.

Sapientes evehe. 6. Monentes audi. 7. Vectigalia contrahe. 8. Supplicia mitiga. 9. Prodigalitem fuge. 10. Dissolutionem cave.

Repudiat uxorem legitimam, exemplo se tuens antecessorum : ad haec Colaüs, *satiüs*, inquit, *foret ô Princeps, imitari virtutes majorum quàm peccata* : Excandescens Imperator monentem magistratu privat.

### **8. HOEI ÇUM, regn. 25.**

Anno 17. moritur CHE ÇUM aet. 25. Anno 18. succedit HOEI ÇUM filius XIN ÇUM natu undecimus. Artium liberalium disciplinis probè instructus, at luxui jocusque intentus, aviae committit regimen. Eunichis impensè favet, quos regulatorum ornat dignitate, solis è regio sanguine principibus dari solitâ. Superstitioni item & sectae Tao addictissimus.

Anno Imperii 16. quendam ejus sectae celebrem Coenibitam *Chum y* nomine, qui floruerat sub quintâ Han familiâ, titulo Xam ti seu supremi Numinis donat, [72] sectaeque illius se Pontificem supremum nominari vult. Tot consecuta deinde mala, & Imperii ruinam attribuunt scriptores sacrilegii hujus atrocitati, quo vera coeli Majestas usque adeò contempta fuit & abjecta.

Societatem init cum *Nim che* sive Tartaro Orientali contra Barbaros *Leao*, quos aliquot praeliis debellat, extincto regno *Leao*, quod per annos 209. sub novem Principibus steterat. Ejus reliquiae ad Occidentem profugae regnum fundant, quod post annos 100. ab Occidentali Tartaro prorsùs delebitur. Tartarus Orientalis affectat Imperium. *Kin* nomen dominationi suae tribuit: capit *Pe kim*, *Xen si*, &c. Imperator invitatus adit Tartarum, cum eo de limitibus transactus. Imperator re infectâ redit. Pergit iterum infelix rogatu suorum, sed à Tartaro perfidè detentus, cogitur, insignibus regiis depositis, extra regnum & murum Sinensem migrare.

### **9. KIN ÇUM, regn. 1.**

Anno 42. HOEI ÇUM in Tartariae deserto Xa mo captivus moritur aet. 54. Anno 43. succedit KIN ÇUM filius natu major, à moriente patre nominatus. Sex ministros proditionis reos jussu patris è medio tollit. Tartarus Ho nan provinciae aulam invadit, Imperatorem & Reginas in Tartariam abducit, relictâ Imperatrice Mem, quòd repudiatam se diceret. Multi è praecipuis proceribus voluntaria morte probrum barbarae captivatis antevortunt. Imperator autem captivus moritur 30. post annis, aet. 61.

### **10. CAO ÇUM, regn. 36.**

Anno 44. succedit interim CAO ÇUM filius nonus HOEI ÇUM ex repudiata Mem uxore. Aulam transfert in Austrum in Nan kim, unde dein compulsus migrare in urbem Ham cheu prov. Che kiam. Hinc Australis Sum familia deinceps dicta.

Princeps fuit amans pacis & litterarum. Primis annis aliquot victorias retulit de Tartaris & latronibus, strenuissimo ductore Cum ye, qui in Septentrione in 13. praeliis

victor evaserat. Sed idem neglectis sapientibus, improbos & perversos in consilium admittit. Adeò deditus Bonziorum sectae, ut Imperii administrationem filio à se adoptato committat, quò vacaret impensiùs commentationibus superstitiosis.

Hi cum Rex Tartarorum ut litteratos Imperii basim & florem sibi devinciat, Confucii Gymnasium & aedes ipsemet adit, honores posthumos ei persoluturus: cumque essent qui dicerent non esse cur hominem vulgarem regiis honoribus prosequeretur, respondit: Tametsi Confucius non eâ conditione fuerit, ut hos honores mereatur, attamen ejus doctrina digna est, quam ritu Regio veneremur.

Anno 4. Lun. 7. anno 8. Lun. 5. anno 11. Lun. 3. anno 14. Lun. 11. Eclipsis & cometes ab Occid. anno 18. Lun. 4. anno 24. Lun. 11. anno 28. Lun. 9. anno 30. Lun. 3. anno 34. Stella instar Lunae in Austrum tendens. anno 35. Lun. 5. [73] anno 40. Lun. 8. anno 46. Lun. 9. anno 52. Lun. 1. anno 54. Lun. 2. & anno 60. Lun. 12. Eclipses Solis.

CYCLUS LXV. Annus post Chr. 1144.

Pacem cum Tartaro init, non dubitans Majestas Sinica ei suscribere cum nomine *Chin*, id est subditi, & *Cum*, seu tributarii, dummodò sibi parentum 8. ante annis vitâ functorum corpora, Imperio ipso chariora pignora, restituerentur; quo facto publica laetitia & amnistia indicta. Mirè extollunt hanc filii erga parentes pietatem scriptores.

Anno Imperii 35. rupta pace Tartarorum Rex cum 600. millibus Meridiem petit. Capitur urbs *Yam cheu*. Stricto acinace mortem suis Rex minatur, ni victo meto fluvium *Kiam* trajiciant. Oritur in exercitu seditio, in quâ Rex ipse occiditur. Re itaque infectâ reditur in Septentrionem.

### 11. HIAO ÇUM, regn. 27.

Anno Cycli 19. CAO ÇUM resignat Imperium filio adoptivo: 25. post annis moritur absque liberis, aet. 84. Anno 20. succedit HIAO ÇUM, qui erat fundatoris hujus familiae post sextam stirpem nepos. Princeps à pietate commendatus: pacificè utcumque regit, quia Rex Tartarus *Xi çum* item pius, sapiens, & indolis erat pacificae.

Floruit sub hoc *Chu hi* veterum librorum interpres celeberrimus. Obiit autem septuagenario major, anno 6. imperantis *Nym çum*. Variis perfunctus muneribus sub quatuor Imperatoribus, post mortem honoratus titulo *Ven cum*, id est, litterarum principis, & cum caeteris *Confucii* discipulus consecutus titulos posthumos: quorum nomina in tabellis in Gymnasio Confucii exponuntur, qui mos hodieque viget: nam ubi constat de viri virtute, sapientiâ & in gesto magistratu integritate, solent eos Imperatores in album & ordinem referre condiscipulorum *Confucii*, ut in partem veniant honorum, qui statis temporibus à Praefectis urbium exhibentur.

### 12. QUAM ÇUM, regn. 5.

Anno 46. HIAO ÇUM moritur aet. 68. Anno 47. succedit QUAM ÇUM decessoris filius natu tertius.

Anno 51. QUAM ÇUM coram procerum suorum coetu correptus apoplexiâ in terram corruit, nec sibi restitui potuit. Moritur postmodum aet. 54.

### 13. NYM ÇUM, regn. 30.

Anno 52. NYM ÇUM natu tertius decessoris filius, tametsi multùm reluctans evehitur ad solium. Princeps re & nomine pacatae indolis, pius, modestus: à suis se regi, ne dicam decipi, patitur. Edicto vetat, ne quis pro arbitrio suo annales edat.

Anno Imperii 8. incendium Palatii quatuor dies tenuit. Post 36. item annos in urbe regiâ *Ham cheu* incendium, quo 530. millia domorum absumpta.

*Anno 2. Lun. 6. Cometes anno 5. Lun. 4. anno 12. Lun. 5. anno 15. Lun. 3. anno 21. Lun. 6. anno 30. Lun 5. anno 33. Lun. 3. anno 40. Lun 11. anno 43. Lun. 5. Planetæ [74] simul visae sub unâ constellatione. anno 45. Lun. 8. anno 52. Lun. 3. anno 57. Lun. 6 & anno 60. Lun. 4. Eclipses Solis.*

*CYCLUS LXVI. Annus post Chr. 1204.*

Tartari *Kin* seu Orientales rupto iterum foedere invadunt Sinam.

Tartari Occidentales, qui sub quintae Han familiae sexto Imperatore *Vu ti* multis cladibus ad interneccionem deleti, per 1300. circiter annos nil dignum memoratu contra Sinam egerant, tandem anno *Nym çum* Imp. 12. coeperunt Imperii sui jacere fundamenta. Indunt nomen familiae *Yuen*, quod principium sonat. Ab anno primo nascentis Imperii usque ad decimum-quartum occisae ferunt 1847. myriades ab hoc familiae Tartaricae conditore tyranno. Quintus ab hoc Princeps post annos 32. toti Chinae dominabitur.

Tartarus Occidentalis à Sinis invitatus bellum auspicatur contra Orientales. Orientalis pacem petit cum Sinis, hi respuunt, quo cognito : *hodie*, inquit, *Occidentales mihi meum Imperium, cras tuum tibi auferent.*

Tartarus Occidentalis memoratur extinxisse regnum Mahometanorum *Metena* dictum, inde ab Into (putà Indorum) & *Samaul han* (putà Sarmacandiae) regna processisse usque ad *Tie muen* (id est ferream portam) arcem sic dictam, inde occasione monstri cujusdam inusitati territus, monitusque à tot caedibus quibus coelum non gaudet, abstinere, ab occasu ad ortum tendens vim totam armorum ad Sinense convertit Imperium.

### 14. LI ÇUM, regn. 40.

Anno 21. NYM ÇUM absque liberis moritur aet. 57. Anno 22. succedit LI ÇUM fundatoris post decimam stirpem nepos. Princeps addictus sectae *Tao*, & litteris plusquàm ratio temporis & belli postulabat. Titulum Ducatus & dignitates confert



familiae *Confucii*, quae & hodie perserverat ab onere tributi immunis.

Variis immissis exercitibus tam Sina, quàm Tartarus Occidentalis contra Orientales, tandem victor evadit. Aula *Ho nan* diripitur. Dein Metropolis prov. *Xan tum*, ubi tam pertinax fuit obsessorum constantia, ut carnibus jam humanis vescerentur. Postremus Orientalium Rex *Ngay ti* desperatis tandem rebus laqueo vitam finit : atque ita extinctum regnum *Kin* seu Orientalium Tartarorum, quod novem Principes habuerat per annos 117. verùm post annos 419. ex horum reliquiis seu posteris rursus emerget familia vigesima secunda, totius Chinae futura domina.

Quo tempore penes Imperatores Sinenses in Austro per 40. annos fuit Imperium, Boreale Imperium fuit penes Tartarorum Occidentalium Principes omninò quinque, quorum postremus *Ho pie lie* multis claris victoriis imperare coepit anno Cycli hujus 56. & post [75] annos novemdecim fundabit familiam proximam *Yuen* dictam.

Idem Princeps ut erat in rebus litterisque Sinicis versatissimus, ut Sinensium sibi animos magis conciliet, parentat & ipsi litterarum Principi *Confucio* ritu regio.

*Anno 7. Lun. 6. anno 15. Lun. 7. anno 18. Lun. 5. anno 20. Lun. 9, anno 25. Lun. 6. anno 34. Lun. 12. anno 39. Lun. 9. anno 42. Lun. 7. anno 46. Lun. 4. anno 49. Lun. 2 & anno 57. Lun. 3. Eclipses Solis.*

*CYCLUS LXVII. Annus post Chr. 1264*

### **15. TU ÇUM, regn. 10.**

Anno 1: LI ÇUM absque liberis moritur aet. 62. Anno 2. succedit TU ÇUM decessoris è fratre nepos. Veneri & Baccho immodicè deditus, regi se sinit à perfidissimo Colao *Hia su tao*. Oblati multi contra eum libelli supplices, sed incassum : quare multorum defectio ad victorem Tartarum consecuta.

Tartarus occupatis priùs provinciis Occidentii finitimis *Yun nun, Xen si, Su chuen* (in cujus Metropoli *Chim tu* occisa feruntur quater decies centena civium millia), tandem in *Hu quam* Australem provinciam tendit. Imperator omnium ignarus, è tribus Imperii partibus vix unam obtinet.

Nobilis viri Marci Pauli, Sereniss. Venetorum Reipublicae civis inclyti, in Chinam circa haec tempora introitus.

### **16. CUM ÇUM, regn. 2.**

Anno 11, TU ÇUM moritur aet. 25. tribus filiis relictis ad fortunae ludibrium. Anno 12. succedit CUM ÇUM secundus filius. Pro puero prudens Imperatrix gubernat : pacem petit duris conditionibus, at verò *Pe yen* Ductor supremus Tartarici exercitus, nullas admittit: *Vestra, inquit, familia ob infantiam Principis prioris familiae, potita fuit Imperio; nunc aequum videtur, ut ob infantiam Principum eodem privetur.*

Tartarus cum 700. armatorum millibus petit Meridiem, & pleraque facit suae potestatis.

Celebratus Ducis *Pe yen* prudentia, quâ regebat ducenta armatorum millia, non aliter quàm si unum regeret militem: alterum, quòd tot victoris inclytus numquam

auditus sit commemorare res suas ac merita.

Anno 13. à *Pe yen* captus Imperator obiit in deserto *Xamo*, aet. 10. Anno 14. succedit TUON ÇUM frater major natu. Hic mari cum classe 130. millium hostem fugiens primùm ad *Fo kien*, & inde ad prov. *Quam tum* oram maritimam dilabatur.

Anno 15. TUON ÇUM ex morbo moritur aet. 11. Anno 16. succedit TI PIM frater natu minimus, & ultimae familiae scintillula. à Tartarorum classe ingenti clade classis Sinica profligatur. Colaüs *Lo sieu su* re desperatâ complexus octennem Principem, se pariter cum illo in mare praecipitat : re cognitâ Imperatrix [76] cum turbâ plurimâ ruit in praeceps. Peracta fuit haec catastropha Lunâ 2. hujus anni prope insulam *Tai xan*, quae paret oppido *Sin hoei* prov. *Quam tum*, *Quam cheu* dictae. Dux alter Sinarum *Xi kie* evaserat medios per hostes cum parte classis ad insulam *Pim cham xan* dictam. Hic vi ventorum à littore spirantium in altum mare provectus, vi turbinum & procellarum obrutus est. Periisse dicuntur hac die supra centum millia mortalium partim ferro, partim fluctibus : & hîc finem habuit funestissimum familia *Sum*.

Stererat Monarchia Sinica sub. 19. familiis Imperatoriis per annos 4222. quando primâ vice tota parere coepit exteris, jugumque subiit Tartari Occidentalis, si jugum dici potest, quando Sinas & sinceritate & fide & amore beneficentiaque ita sibi conciliavit, ut hodie etiam *Xim chao*, id est, dominatio sancta, vulgò nuncupatur.

## XX. Familia.

### 1. XI ÇU, regn. 15.

Anno Cycli 17. init Imperium XI ÇU Tartarus occiduus, filius *Tai çu* natu quartus, fundator familiae 20. Yuen dictae, quae sub novem Imperatoribus annos 89. numeravit.

Aula primùm *Tai yuen fu* Metropolis prov. *Xan si*, ac deinde *Pe kim*. Hic postquam bellum gesserat 10. annis, tandem Sinae toti imperat. Princeps pius, prudens, magnanimus, perspicax, Mecaenas litterarum. Expeditio suscipitur in Japoniam nullo successu; nam ex 100. millibus qui partim mari, partim in insulis perierunt; vix tres quatuorve redierunt. Aquaeductum aperit per stadia Sinica 3050. seu leucas Belgicas 245. circiter: per hunc supra novem mille navigia, singula 500. oryzae modiis onusta, pro sola aula quotannis ex Austro viâ mediterraneâ devehuntur, quae priùs maritimâ devehebantur.

### 2. CHIM ÇUM, regn. 13.

Anno 31. moritur XI ÇU aet. 80. Anno 32. succedit CHIM ÇUM nepos, clemens & amans populi : vectigalia & supplicia moderatur : fraudi fuit invaletudo propè assidua, quo factum, ut nequiverit pro voto res Imperii administrare.

### 3. VU ÇUM, regn. 4.

Anno 44. CHIM ÇUM moritur aet. 42. Anno 45. succedit VU ÇUM ex fratre nepos, pius & munificus, bene meritos variis dynastiis donat. *Confucium* regis titulis donat.

Vetat aurum, argentum, oryzam & sericum extra Imperium deportari.

#### 4. GIN ÇUM, regn. 9.

Anno 48. VU ÇUM moritur aet. 31. Anno 49. succedit GIN ÇUM frater uterinus : pius & re & nomine, moderatus, & caelestis, ut aiunt, indolis, gravis, acuti ingenii, moneri gaudens, litterarum studiosus. Regulis interdicit venationes à quinta Lunâ ad decimam, ne colonis damno sint. Magna hoc imperante pax. Identidem pluviam à coelo efflagitat. Fuit cùm diu cessante pluviâ coelum suspiciens: *Ah! Ego, inquit, ego reus sum tantae calamitatis, & sequenti more [77] mox die effusi imbres secuti.*

Cognito quinque fratres reos mortis, ingemiscens: *Uni saltem, inquit, detur vita, ut sit qui parentes alat & soletur.*

#### 5. YM ÇUM, regn. 3.

Anno 57. GIN ÇUM moritur aet. 36. Anno 58. succedit YM ÇUM decessoris filius natu major, patri per omnia similis, pro cuius vitâ saepe cum lachrymis suam coelo devoverat pius Princeps.

Anno 60. YM ÇUM in ingressu tentorii, cum fido Colao suo occisus aet. 30 à gravium scelerum sibi consciis perfidis. Hos sequens Imperator uno post mense meritis suppliciiis plectit, stirpe etiam funditus deletâ.

Haec una familia prae reliquis prodigiosa dici potest, quod hac imperante, tot terraemotus, ruinae montium, inundationes, siccitates, incendia, &c extiterint, quorum pleraque hîc praeterimus.

*Anno 2. Lun. 1. anno 7. Lun. 3. anno 12. Lun. 7. totalis, anno 13. macula magna instar observatur in Sole, lun. 6, stella visa in mare delabi, quam millenae consecutae cum fragore. anno 19. Lun. 7. anno 24. Lun. 10. anno 27. Lun. 8. anno 30. Cometa anno 31. Lun. 6. anno 35. Lun. 12. Comet. per 76 dies, anno 37. Lun. 2. anno 40. Lun. 5. intercalari. anno 55. Lun. 2. & anno 58. Eclipses Solis.*

*CYCLUS LXVIII. Annus post Chr. 1324*

#### 6. TAI TIM, regn. 5.

Anno 1. succedit TAI TIM filius Reguli *Hien Çum*, liberalis, pacis amans. Admitti vetat Bonzios è regno Tibet (*Lama* dictos) ne populo oneri sint.

Anno 5. TAI TIM moritur aet. 36. Comitia celebrantur, eligitur filius natu minor, hic verò recusat, eò quod fratri natu majori deberetur, evocatur hic itaque è Tartaria, & salutatur Imperator.

#### 7. MIM ÇUM, regn. 1.

Anno 6. succedit MIM ÇUM decessoris filius natu major, qui in convivio, sexto

post mense repente moritur, non defuit veneni suspicio.

### **8. VEN ÇUM, regn. 3.**

Anno 7. succedit VEN ÇUM frater minor. Peccat unâ re, quod Antistitem Bonziorum *Lama* regiè excipiat, & in aulam introducat, qui adeò cum immotus, nullâque vicissim honoris significatione, procerum salutationes curvatis poplitibus exhibitos vino ritè ministrato acceptaret, fuit qui hominis fastum non ferens, *Tu*, inquit, *bone vir, discipulus es Foe, & Magister Bonziorum; ego verò, si nescis, discipulus sum Confucii, idemque magister litterarum Imperii: quo circa supersedeamus obsecro, mutuo venerationis ritu.* Haec fatus, vinum illi stans obtulit: subrisit Antites, cyathumque surgens exhaustit.

### **9. XUN TI, regn. 35.**

Anno 9. VEN ÇUM moritur aet. 29. succedit *Nym çum*, sed quia post bimestre moritur, in serie Regum non ponitur.

Anno 10. succedit XUN TI septimi Imperatoris filius natu major, & frater *Nym çum* item natu major, tredecennis evocatus ex Australi prov. *Quam si* ad aulam.

[78] Princeps indolis bonae, sed inertis, dein ludis, jocis & veneri deditus, res Imperii neglegit, Colao *Pe yeu hama* pro lubitu admistrante omnia. Invitat è Tartaria *Lamas* suos & magos; hi chorum instituunt 16. puellarum saltraticium, dictum tripudium daemonum coelestium.

Anno hujus 23. homo Sina, cui *Chu* nomen, è servo Bonziorum, Dux latronum, occupat varia loca, dein & provincias Australes; tandem caedit exercitum Imperatoris, brevi ipse futurus Imperator.

Anno XUN TI 36. qui fuit primus sequentis fundatoris, Dux belli *Chu* trajecto croceo fluvio, urbes & loca nullo ferè negotio occupat, caedit exercitum Imperatoris, qui clàm fugâ sibi consulit.

## **XXI. Familia.**

### **1. TAI ÇU, aliàs ex regnatus sui cognomento dictus *Hum vu*, id est magnus belliger. regn. 31.**

Anno 45. XUN TI fugiens in Septentrionem, ibi bienno pòst moritur. Perit familia *Yuen* Tartari Occidentalis. Anno 46. succedit TAI ÇU, aliàs *Chu*. Fundat 21. Familiam *Tai min*, quae per annos 276. numeravit 16. Imperatores. Aulam in *Nan kim* Metropoli constituit.

Anno 47. die uno aula capitur *Pe kim*. Hujus ditionis Regulum creat filium natu quartum.

Patrem, avum, atavum, tritavum titulis posthumis honorat.

Regulos terris & redditibus contentos, rei publicae negotiis occupati vetat, Eunuchis

item dignitatem civilem aut bellicam conferri. Vetat mulieres Bonzaicam vitam amplecti, quin & viros ante 40. aetatis annum. Leges priscas & modernas in unum corpus 300. voluminum redigi jubet, quod opus centum viginti post annis tandem perficietur & lucem videbit. Menses 27. in luctu parentum usitatos, in totidem dies commutari permittit. Quadraginta regnorum legationibus honoratur, inter munera fuit leo in China primum visus. Venerunt item legati ex Corea, Japonia, Insulâ formosâ, & Australibus insulis, item è regno *Sien lo* seu *Siam* cum litteris inscriptis auro in folium extenuato.

Uxoris suae *Ma xi* etsi deformis, prudentiae ac pietati debere se Imperium fatebatur. Nam cùm naturâ praeceps ac ferocior esset, illa ut mariti vitio blandè mederetur, affirmabat iis Imperia à coelo deferri, qui voluntati votoque coelesti (quod est amoris & clementiae) obtemperarent. Ad Imperatricis dignitatem evecta, numquam gemmas adhibuit, veste etiam saepius lotâ utens. Morti proxima, cùm ei pharmacum offerret Imperator, sumere recusavit, ne si nihil proficeret, ut erat probabile, medici vitam fortè in discrimen vocaret. Obiit anno novae dominationis decimo quinto. Quantus fuerit mariti luctus, hinc patet, quòd aliam deinceps creare Imperatricem recusarit.

*Anno 4. lun. 9. anno 8. lun. 8. anno 11. lun. 4. anno [79]15. lun. 8. anno 19. lun. 8. anno 22. lun. 9. anno 27. lun. 11. anno 29. lun. 4. anno 33. lun. 3. duo item Soles visi. anno 35. lun. 6. anno 38. lun. 4. anno 41. lun. 8. Eclipses Solis, et anno 45. Cometes per trimestre.*

*CYCLUS LXIX. Annus post Chr. 1384.*

Gymnasium Regium amplis auget privilegiis; examini, quo Doctorum laurea in aula confertur, ipse assistit.

*Confucio* gentis magistro honores jubet deferri non regios, quos quidam imperatores soliti erant deferre, sed eos dumtaxat, qui *Sien su*, hoc est magistris vita functis conferri soliti, uti viventibus conferebantur. Vetat etiam eo ritu honorare *Confucium* quo reliqui spiritus aut idola coluntur, cùm enim, inquit, *litterati, qui diem obierunt, à reliquis spiritibus diversi sint, par est quotannis eorum memoriam diversa quoque honoris significatione rituque renovare, eoque dumtaxat, qui pristinae cujusque conditioni, et quam gessit olim, dignitati competat.* Vetat insuper statuas *confucii*, aut ejusdem discipulorum conflari & erigi. Inter egregia principis documenta, celebriora sunt ista: *In regendo populo turbulento cave sis praeceps; in eo, qui jam pacatus sit, regendo, cave sis tetricus, minutus, molestus.* Item, *uti coelum et terra procreant res omnes ad communem usum victumque hominis, ita sapiens Rex curas suas et contentiones eò dirigit potissimum, ut diligat suos, foveat ac sustentet; et quamvis ipse contrahat vectigalia, sumptusque publicos ac privatos moderetur, semper tamen angitur ac timet, ut subditis necessaria suppetant; quâ quidem cura et metu multò magis tunc cruciatur, quando graviora subinde vectigalia imperari necesse est.*

Cùm fortè dies plurimos cessassent pluviae, Imperator stramineos indutus calceos,

ac vestem lugubrem, ad montem contendit, ibidem triduum totum perseverans, opem coeli clementiamque implorat: exacto triduo largi imbres deciderunt.

Lustrans ipse ditiones Imperii comite filio natu maximo, mediis in agris curram jubet consistere, & conversus ad filium: *ideo, inquit, te mecum adduxi, ut tuis ipse usurpes oculis pauperum colonorum labores ac sudores, ut discas misereri illos, ac moderari vectigalia.*

Cursum felicitatis interruptit mors insperata filii haeredis, quem contra morem per triennium luxit, & in ejus locum nepotulum haeredem declarat.

Inciderat in latrones cùm uxore & patre quidam *Sui* dictus: parantibus senem interficere, filius vitam pro paternâ obtulit; eisdem verò vim nuptae parantibus inferre, *at, inquit illa, nefas hoc marito superstite.* In ignem igitur paratum praecipitant juvenem, quod conspicata mulier, in eundem se praecipitat, ibique maritum complexa abit in cineres. Huic fidei & pietati illustre monumentum erigi curat Imperator, [80] qui & castigat insanam alterius pietatem, qui ut aegrotanti matri valtudinem ab idolo exoraret, proprium ei filiolum sacrificaverat.

## **2. KIEN VEN TI seu *Kien ven*, id est, stabiliens rem litterariam. regen. 4.**

Anno Cycli 15. *Hum vu* moritur aet. 71. Anno 16. succedit KIEN VEN TI conditoris nepos tredecennis, piaie indolis Princeps, populique amans, cui remittit tertiam partem vectigalium.

Hujus patris Reguli aegrè ferunt antepositum tot sanguinis Regii ad Imperium maturis principibus adolescentulum. Auxerunt invidiam Colaorum patefacta contra se consilia. His aliisque rebus caeteros interexacerbatus Regulus *Pe kim* natu quartus Conditoris filius, arma parat, & periniquae (ut aiebat) gubernationis hostem se declarat. Magni contra ipsum exercitus mittuntur, uno 8. horarum conflictu trecenta bellatorum millia feruntur cecidisse. Offertur pacis conditio, respuit ille, nisi priùs tradantur ministri Regii. Tandem Regiam petit Nankinensem. Proditor *Li kim lum* portas aperit: ingens strages mortalium. Succenditur domus regia. Ambustum cadaver adolescentis Imperatoris, uti creditum, in conspectum victoris producitur, illachrymatur ipse, & Imperatorio ritu humari jubet: saevitum crudeliter in ministros Regios, è quibus uno die variis affecti suppliciis suprâ octingenti, aliis interim fatum sponte praeoccupantibus, aliis raso capite mentitis Bonziis fugaque elapsis.

## **3. CHIM ÇU, aliàs *Yum lo*, id est, aeterna laetitia regn. 23.**

Hoc peractum anno Cycli 20. Imperii quarto quo KIEN VEN extinctus aet. 17. Anno Cycli 21. Succedit CHIM ÇU seu *Yum lo*, filius Conditoris natu quartus, Princeps initio crudelis, & magnanimus & prudens: fratribus suis, aliisque bene meritis restituit honores pristinos ac census.

Cùm certum ob crimen interfici juberet *Li kim lum*, hic autem diceret haud imperaturum fuisse ipsum si venienti portas urbis regiae non aperuisset, *imo vero, inquit alter, fortunae meae fuit venisse me: nam si venisset alius quicumque pari instructus*

*robore armorum, non secus illi, ac mihi, portas aperuisses, proditor.*

Anno Imperii 5. adolescentes 1800. quod ante annum aet. 40. contra legem à patre latam sectae Bonziorum nomen dedissent, excedere coenobio jubet.

Anno Imperii 7. transfert aulam *Nan kim* Australem in Borealem *Pe kim*, relicto haerede filio in aula *Nan kim* cum simillimis magistratibus qui in *Pe kim*. Multis legationibus honoratus, quas inter erant ex utraque Tartaria, ex Malacâ, è mari Australi & occiduo, item Mahometanorum cum Rhynocerote. Libros Alchimicos de usu Ambrosiae immortalis cremari jubet. Cùm offerrentur lapides pretiosi effossi in prov. *Xan si*, occludi jussit fodinas, dicens non fatigandum populum vano labore, cùm lapides isti [81] nec sterili tempore comedi, nec brumali fovere corpus queant. Quinque aera campana 120. mille librarum singula fundi jubet.

Anno Imperii 13. Cycli 32. Aulae Doctribus 42. *Han lin* dictis, committit veterum librorum classicorum amplioem explanationem, monens, ut duorum praecipue interpretum *Chim çu*, & *Chu çu* (qui sub exitum familiae *Sum* floruerant) commentis insisterent. Ab iisdem quoque nova quaedam fabricata Philosophia, de quâ consule prooemialem declarationem ad Scientiam Sinicam.

#### **4. GIN ÇUM aliàs *Hum hi*, id est dilatata concordia. Regn. aliquos mens.**

Anno Cycli 41. Yum Lo moritur aet. 63. Anno 42. succedit GIN ÇUM decessoris filius, clemens & benignus. Audiens in prov. *Xan tum* laborari fame, protinus eò destinat Colaum *Yam su kie*. Dicente autem Colao, quòd concilia duo Regia consultanda de hoc essent, & quid facto opus censerent, renuntiandum: *Facessant*, inquit, *morae istae ac deliberationes: populo namque laboranti fame, tanta cum celeritate opitulandum est, quanta concurritur ad commune extinguendum incendium, vel repentinam aquarum illuvionem reprimendam*. Aliis dicentibus rationem habendam esse diversitatis locorum, & hominum magis minusve egentium: *Habeatur*, inquit, *verumtamen sic, ut à minutis abstineamus, et dum opitulandum est tantae calamitati, non vereamur peccare quodammodo largitate*.

Admodum studiosus cùm esset rei Astrologicae, & nocte quapiam observasset mutationem nescio quam in stellis, accitis ad se Colais, *Actum est*, inquit, *de meâ vitâ: meministis autem me passum fuisse multa ab invidis per annos 20. quando degebam in Palatio Orientali, sed fides vestra concordiaque me contutata est, etc.* Haec fatus, duobus spectatissimae fidei viris sigillum donat. Insculptae sigillo litterar *Chum chin*, id est, minister fidelis et integer: ii cum lachrymis excipiunt pignus honoris extremum, quo deinceps sigillo epistolas suas obsignant.

Languere incipit Imperator, accersunt haeredem filium ex aulâ meridionali, moestus advolat, serò tamen, jam extincto patre aet. 48. anno, & Cycli 42. qui annus praeter morem successoris tribuitur.

#### **5. SIUIN ÇUM aliàs *Siuen te*, id est, manifesta virtus. Regn. 10.**

Anno 42. (*post Christum* 1426.) succedit SIUIN ÇUM filius Gin çum, Princeps

clemens. Gaudet clàm & incognitus prodire. Edicto vetat promoveri litteratos ad gradum Licentiati ante annum aet. 25.

Patruum rebellem & in praelio captum perpetuo carceri in aulâ mancipat. Tartarorum irruentes copias ipse ductor exercitus feliciter delet. Cochinchinae Praetori Regis titulum impertit, sed tertio post anno Rex à rebellibus è familiâ *Li* occiditur. Mittunt hi legatos, qui veniam deprecantur. Imperator audito Senatu, ne gravis populo esset, & quòd nullius prope [82] emolumenti res videretur, à mittendis logè adeo copiis abstinuit, legatos etiam cum titulo dignitatis remittens. Sub hoc arsit Palatium per dies aliquot. Ex incendio tanta vis aeris, auri & argenti flammis liquata, ut ex hac massa innumera vasa confecta sint, quae magno hodie in pretio habentur, qualia olim ex aere Gorinthiaco.

## **6. YM ÇUM, aliàs *Chim tum*, id est, recta administratio. Regnat primo annis 14.**

Anno Cycli 52. SIUEN ÇUM moritur aet. 38. Anno 53. (1436) succedit YM ÇUM filius natu major & novennis, sub tutelâ Imperatricis & Eunuchi praecipui. Novem portas urbis Regiae restaurat.

Anno Imperii 3. edicto prohibet in fanis idolorum exhiberi honores *Confucio*. Tartari continuis excursionibus latrocinia exercent.

*Anno 5. Planetae simul visi sub una constellatione, anno 15. Lunâ 9. Stella versus ortum cum sonitu desiit.*

*CYCLUS LXX. Annus post Chr. 1444.*

Anno Cycli 6. Imperii 14. ipse Imperator in Tartaros ultra murum ducit exercitum quingentorum millium. Annonae defectu multi pereunt: dilabuntur plurimi, tandem mense 8. utrimque pugnatur, caeditur Sinensis exercitus, victor Tartarus victum Imperatorem captivumque in interiorem Tartariam abducit. Hinc maxima in aulâ consternatio. Substituitur in solio filiulus biennis, cui tutor assignatus natu minor frater captivi: qui tamen Imperatoris non vices, sed titulum suscipit & auctoritatem: mittitur interim ab Imperatrice ingens vis auri, argenti, serici ad redimendum Imperatorem; acceptat Tartarus, at plura repositus, quin specie reducendi Imperatoris eum ad confinia Sinarum adducit, iterumque contemptis muneribus tamquam tanto principe indignis, intra fines reducit.

## **7. KIM TI, aliàs *Kim tai*, id est gloriae magnitudo. Regn. ann. 7.**

Anno Cycli 7. Succedit KIM TI frater captivi. Mittuntur, qui reducem excipiunt Imperatorem, sed Tartarus altioris ordinis & dignitatis primates postulat ad tanti principis comitatum. Tandem reducit multò stipatus milite usque ad Imperii limites prope montem *Tam kia lin*. Unde Imperator in aulam scribit se renunciare Imperio, & quietem meditari, adeoque ne se venientem cum pompâ excipiant: tandem ut eluderet, fugeretque adventantium apparatus, per aliam urbis Regiae portam ingressus est, ubi



sibi mutuò occurrunt fratres, & post fraternos amplexus & lachrymas deductus tandem à fratre & aulâ totâ ad Palatium Australe, uti expetiverat.

Prosequitur interim frater Imperii regimen, imò jam meditabatur filiolum suum Imperii haeredem declarare, quod cùm in diem filii natalem reservaret, ad Colaum die quodam, *Natalis*, inquit, *fili mei heredis incidit in diem secundaem lunae septimae*. Colaus post reverentiam de more exhibitam, *Imo vero pace tua*, [83] *ô Rex*, inquit, *natalis haeredis* (denotabat filium fratris natu majoris) *incidit in primam diem lunae undecimae*. Conticuit ad hoc Imperator, & de filiolo haerede mentem deposuit, & verò altero post anno vivere desiit puerulus.

### **8. YM ÇUM novo cognomento dictus *Tien xun*, id est, coelum prosperum & propitium. Denuo reg. an. 8.**

Anno Cycli 13. Imperii 7. in morbum lethalem incidit Imperator. Eo nondum mortuo reducitur ex palatio Australi ad avitum solium frater natu major, qui mox anno Imperii 1. qui fuit Cycli 14. (1457) lunâ 1. amnistiam publicam per Imperium incidit. Moritur 2. Lunâ KIM TI, regnante jam YM ÇUM. Per libellum supplicem postulatur, ut nomen fratris & memoria, quasi ambitus rei, aboleatur: renuit Imperator, qui tamen fratrem sepeliri noluit ritu Imperatorio, sed eo dumtaxat, qui est fratris natu minoris & sanguinis regii.

### **9. HIEN ÇUM, aliàs *Chim hoa*, id est, perfecta conversio. Reg. an. 23.**

Anno Cycli 21. YM ÇUM moritur aet 31. Anno Cycli 22. (1465) succedit HIEN ÇUM decessoris filius primogenitus, è reginarum secunda, quia sterilis erat Imperatrix.

Princeps Bonziis impense addictus, rerum cupidus peregrinarum.

Anno Cycli 23. caedit exercitum praedonum in prov. *Hu quam*.

Anno Cycli 24. obiit Regina mater.

Anno 28. occasione Cometes lunâ 11. conspicui. Monita excipit Imperator.

Anno 29. Tartarorum Cunei in Sinam excurrunt, & praedis onusti remeant.

Anno 36. Tartarorum exercitus ad internecionem caesus à Sinensi exercitu.

Anno 37. Coreae Rex commodiorem, sublatis ambagibus, & compendiosiore viam proponit pro legationibus in aulam clientelae causâ mittendis, non annuit Imperator. Tartari rursus erumpunt, & vastant ditiones *Leao tum*.

Anno 38. ex regno *Samaul han*, (putà Samarcandiae) legatio cùm duobus leonibus. Alia legatio à Regulo *Fuen cheu* postulante librorum de obedientia & recto regimine monumenta.

Anno 41. in aula terraemotus.

Anno 42. lun. 1. congeries stellarum cum sonitu & fragore dissolvitur.

### **10. HIAO ÇUM, aliàs *Hum chi*, id est, amplum regimen. Reg. an. 18.**

Anno 44. HIEN ÇUM moritur aet. 41. Anno 45. (1488) succedit HIAO ÇUM decessoris primogenitus. Princeps, Bonziorum superstitionibus & supplicationibus impensè favens, assentatoribus gaudens, alchimiae perquam studiosus.

Anno Imperii 5. haeredem solemniter declarat.

Anno Cycli 52. Rex Cochinchinae per legatos copias petit auxiliares contra rebelles: recusat mittere Imperator. In prov. *Xen si* Bonziorum Coryphaeus [84] rebellium Dux & ductor in praelio victus capitur, & in aula capite plectitur. In ditionibus occidentalibus tanta fames, ut se mutuò vorarent filii & parentes. In provinciis Australibus ad Orientem grassatur pestis ingens, & in Sinis isolita.

Anno 53. Sol solito obscurior. Sonitus item in aëre auditus. Terraemotus adeo terribilis, ut hiatu terrae quingenta hominum millia absorpta ferantur.

Anno 54. In omnibus provinciis terraemotus.

Anno 55. ursus aulam ingreditur: hinc auguria funesta, palatii interioris conflagratio secuta.

#### *CYCLUS LXXI. Annus post Chr. 1504.*

Anno Cycli 1. Moritur Imperatrix. Tartari in Sinam irruentes praedas ingentes reportant.

### **11. VU ÇUM, aliàs, *Chim te*, id est perfecta virtus. Reg. An. 16.**

Anno 2. HIAO ÇUM moritur. Anno 3. (1506) succedit VU ÇUM decessoris filius, quo anno Cometa apparuit, stella item cum tonitru in pluviam resolvitur. Terraemotus, ventorum turbines insoliti. Hac occasione à Tao Colao monetur Imperator, ut seriò se regimini applicet, refragnet immoderatos iracundiae impetus, nimiam venandi & equitandi pruriginem, à jocis & ludicris abstineat, exterminet ex aulâ adultores, & dissolutis moribus juvenulos; accersat sapientes, & publici boni sectatores, & c. ita demum revocari posse irati coeli piam erga se voluntatem.

Anno Cycli 6. Tartari rursus ditiones Sinensium depopulantur. Anno 7. Regulus è regio sanguine rebellat, in praelio capitur, & in aulâ occiditur. Anno 8. latronum Cunei emergunt in ipso territorio *Pe kim*, & provinciis *Xan tum* & *Ho nan*, partim fame, partim exactionibus miseros ad arma stimulantibus, *Lieu ce* dicitur, quòd rapidorum torrentium in morem per terras & provincias grassantes quaquaversum diffluerent. Missi contra eos varii exercitus, à quibus repressi quidem & sopiti, sed non penitus extincti, identidem scilicet cùm occasio & opportunitas favebat, repullulantibus.

Anno Cycli 11. Imperator clam & mentito habitu prodiens à tigride vulneratus, & ad mensem coactus decumbere.

Anno 15. debellaturus Tartaros ipse Imperator in Septentrionem pergere meditatur, sed clam scilicet & tacito nomine, sub titulo scilicet Archistrategi; dissuadet totus Senatus, rem novam & periculis obnoxiam esse; sub mentito enim habitu & nomine rebellionis ansam praeberi; persistit mordicus in proposito Imperator, quin & excandescens Colaum acinacem stringit. Hic collum intrepidus praebet, reprimat

furorem Imperator, & mutat propositum.

Anno Cycli 16. meditabatur Imperator proficisci in provincias Australes *Nan kim, Che kiam*, & c. resistit Senatus, oblatis libellis supplicibus, per hoc scilicet [85] addi animos, & viam Tartaris pandi in provincias Boreales, reputantibus scilicet fugâ sibi consulere voluisse Imperatorem. Hinc verò, ut erat propositi tenax, in furorem actus, Senatores jubet ante Palatii valvas flexis genibus sub dio ad totos quinque dies persistere, alios verò in monendo plus aequo severiores carceri mancipat. Successit ingens & insolita pruina & mundatio aquarum ad 4. cubitorum altitudinem, quibus auguriis commotus Imperator, in domum suam quemque remittit, & de excursionem in Austrum cogitationem deponit.

## 11. XI ÇUM, aliàs *Kia cim*, id est, eximia tranquillitas. Reg. 45.<sup>1</sup>

Anno Cycli 18. Imperii 16. VU ÇUM coram primoribus Imperatrici commendat tutelam filii haeredis. Male administrati regni se reum agens, moritur aet. 31.

Anno Cycli 19. (1522) succedit XI ÇUM decessoris natu secundus, tredecennis.

Initio specimen dedit boni Principis, pius & prudens. Libellos supplices identidem per se examinat. Immodicè amans Poësios. Tempore sterilitatis moneri postulat siquid à se peccetur, ex aerario interim & annonâ Regiâ subditis providens. Magnum murum reparari jubet. Impense deditus Bonziorum somniis, & supplicationibus, nec non Ambrosiae immortalitatis, & Alchimicae artis studiosior, cui conquirendae per singulas provincias Legatos destinat. Quin anno Imperii sui 18. meditabatur Imperio ad tempus se abdicare, commissâ rerum curâ haeredi filio, nisi primates obstitissent; qui iteratis libellis binas sectas *Foe & Lao kiun* penitus eliminandas, sed in cassum contendebant. Renovat Conditoris Legem circa titulum *Confucii*, quem non alium esse vult quàm *Sien su*, hoc est *Magistri vitâ functi*. Vetat insuper ejusdem statuas conflari, solâ tabellâ memorativâ permissâ. Vir inops duas filias vendere & prostituere cogitabat, quo cognito ambae in flumen se praecipitarunt: iis mausoleum Imperator erigi jubet, cui titulus, *par Virginum*.

Anno Cycli 47. Imperii 29. Tartari cum exercitu 60. millium, aulae approximant, sed ab exercitu Sinensi caesi fugatique, captis 200. & amplius armorum ductoribus. Anno sequenti Tartarus legationem mittit; quâ facti sui veniam postulat, rogans liceat sibi quotannis ad equos vendendos excurrere. Annuit Imperator, sed quia experientia docti quod ansa seditionibus & rixis inter Praefectos & Mercatores daretur, & quod sub eo praetextu praedas agerent, interdictum deinde fuit equorum commercium.

Anno Cycli 49. Imperii 31. (*qui fuit aerae Christianae 1552.*) secundâ Decembris obdormivit in Domino Orientis Apostolus S. Franciscus Xaverius in Sinarum insulâ *San cheu*, subjectâ provinciae Quam tum, aetatis suae anno 55. [86]

Anno 50. Maritimi praedones Duce *Hoam che* cum classe 100. Navigiorum littora Sinensia infestant.

Anno 52. Japones, qui priùs ut clientelares ventitare cùm muneribus soliti, jam ut praedones & aperti hostes ad quatuor mille numero ad oram provinciae *Che kiam*

---

<sup>1</sup> 原文如此。

exscendunt: caeduntur ad interneccionem 1800. reliquis fugâ dilapsis, & dum naves repetunt, mari haustis. Anno sequenti ad decem mille iterum exscendunt, sed à *Cao lim* militum 900. dumtaxat ductore quatuor praeliis caesi, mox à superveniente milite undequaque cincti prorsus extincti sunt. Post septem rursus annos novae Japonum copiae oram maritimam provinciae *Fo kien* invadunt: imparatos ex improvise Dux belli *Cie* adortus ad interneccionem delet. In Septentrione Dux belli *Lieu han* extra murum cum exercitu contra Tartaros pugnaturus progreditur; his autem ad interiora & sylvas suas dilapsis, non aliud operae pretium tulit praeter 28. Tartarica capita & 170. camelos.

*CYCLUS LXXII. Annus post Chr. 1564.*

Anno Cycli 3. Imperatoris 45. & postremo offertur libellus supplex quo severè monetur, sibi & Imperio attendat, sic ut initiis extrema respondeant. à viginti & ampliùs retrò annis statuta & leges majorum pessum ire, & nisi succurrat, Imperium in interitum vergere: rarò filium haeredem Imperii ad colloquium paternum admitti: incorruptae fidei clientes abjici, aut durius haberi, & ob diffidentiam & suspiciones levi de causa indigne mulctari: Deliciis hortorum & otio cum puellarum gregibus indulgere plùs aequo, neglectâ quodammodo Imperatrice legitimâ conjuge: homines belli ignaros, & auri magis quàm honoris cupidos, exercitibus praefici; aerarium exhauriri in Palatiis & hortis extruendis, & Bonziorum naeniis & supplicationibus, necnon Pharmacis fictae immortalitatis, quae ab ipso coelo delapsa mentiuntur: quasi verò ab ipsis temporibus *Yao & Xun* ab ea moriendi lege quispiam immunis sit repertus, & c. Excanduit ad haec Imperator, libellumque in terram adjicit, quem rursus arripiens ac relegens suspirat, poenitudinis ostendens indicia, sed serae: nam 10. Lunâ morbo correptus, sumptoque immortalitatis toxico mortalem se sensit extinctus anno aet. 58.

## **12. MO ÇUM, aliàs *Lum kim*, id est, augusta gloria. Regn. 6.**

Anno Cycli 4. (1567.) succedit MO ÇUM decessoris filius. à patre in vincula detrusos solvi jubet; alios morte mulctatos ad solatium afflictæ familiae, posthumis titulis donat. Caeterùm Princeps moneri impatiens, & monentes ad inferiorem dignitatis gradum plerumque abjiciens, multa à patre recte instituta pro arbitrio suo immutat.

Legitimam conjugem, quòd sterilis & morbida esset, in aliud Palatium migrare jubet; improbantibus rem [87] proceribus, respondet, nihil ad ipsos & regni statum res inter conjuges pertinere, conjugem, cum convalescit, à se revocandam.

Cùm juxta leges nemo in patriâ provinciâ fungatur magistratu civili, obtinuit per libellum supplicem *Cao Cola*us, ut minoris notae praefectis (uti sunt ii qui praesunt litteratis, aut exactoribus vectigalium) in natali solo magistratu fungi liceat.

Anno Cycli 9. Imp. 6. in morbum incidit. Imperatricis & Colai *Cham kiu chim* tutelae committit haeredem decennem, & sequenti mox die moritur aet. 36.

## **13. XIN ÇUM, aliàs *Van lie*, id est, decem mille annorum ephemeridas. Reg. 48.**

Anno Cycli 10. (1573.) succedit XIN ÇUM decessoris filius, Princeps supra aetatem prudens. Tantâ tutorem & magistrum suum *Cham kiu chim* in veneratione habet, ut quoties docendi gratiâ adveniret, si aestas erat, praemitteret qui flabello regio sudantem refrigeraret; si hiems, tapetes duplicatos juberet insterni: quin & aegrotantem invisit, & medicam potionem manu regiâ porrexit; filio quoque ejus, cui primum nomen secundi ordinis in examine ad doctoratum obtigerat, in gratiam magistri sui primi ordinis nomen secundum concessit.

Fuit aequitatis & justitiae amans, & ut erat perspicacis & prompti ingenii, ita & litteratum librorumque studiosus. Statuit ut licentiati ex 15. provinciis, regiis sumptibus in aulam ad examen deducantur. Interest ipse Doctorum examini. Libellos supplices, quos primo intuitu penetrabat, quotidie ab horâ quartâ matutinâ examinare & decidere solebat, rarius tamen se videndum praebebat. Ordinavit ut singulorum per Imperium Praefectorum nomina, gradus, patria, per 4. anni tempora typis evulgarentur, qui mos hodieque viget.

Anno Cycli 11. Tartari in *Leao tum* irruentes Duce *Chin* ad interneccionem caeduntur. Imperator in gratiam matris, quae idolis erat addictissima, amnistiam indicere statuerat: impedivit Colaüs, allegans eam impunitatis spem ad omnia scelera viam pandere, coelum ipsum utique poenas à sceleratis exigere, quin & in Bonziorum inferno sua flagitiis decreta esse supplicia.

Anno Cycli 16. Imperator postquam de more solenni ritu pileo virili donatus esset, uxorem ducit, quam mox creat Imperatricem.

Sistendis & aliò derivandis ingentium aquarum eluvionibus 800. Millia operariorum adhibet.

*Anno Cycli 18. (1581.) primus è Societate Jesu P. Michael Rogerius Sinam ingreditur.*

Anno 19. Nascitur è Gyecaei servâ filius primogentius, futurus unius mensis Imperator, quòd è legitima prolem non suscepit. Cometa apparet. In provincia *Xan si* tanta sterilitas, ut innumeri mortales [88] fame interierint. Excavatae scrobes seu fossae ingentes variis in locis circiter sexaginta, *Van gin kem* dictae, id est, *myriadis mortalium fossoe*, quòd singulae caperent cadaverum myriadem. Fuit mulier quae conspicata maritum fame enectum in fossam projici, in eandem iniliit, sed jussu Praefecti inde extracta, mortuo marito non sustinens superesse, triduo post expiravit.

Eodem anno Tartari excurrentes à, Duce *Li chin* supra decem mille caesi. Moritur hoc anno *Cham kiu chim* Colaüs & Magister Imperatoris, qui eundem titulo posthumo *Ven chum*, hoc est, *virii litteris et fide praestantis*, honoravit, jussitque corpus in patrium sepulchrum provinciae *Hu quam* cum pompâ deduci: verùm biennio pòst graviter ab aemulis accusatus, ipse cum posteris, titulis & dignitatibus exutus, fortunis etiam omnibus fisco Regio addictis. Hujus filius voluntario suspendio poenas praevenit.

Anno Cycli 20. (1583.) Tartari viâ factâ per concreta gelu flumina magno numero in Sinâ grassantur, & tandem penè ad interneccionem deleti.

*Eodem anno ingressus Sinam P. Matthaeus Riccius S. J. Fundator futurus ingentium Missionum.*

Anno 22. ingens rursus sterilitas. Ipse Imperator moestus & lugens pedes egreditur ad exorandam à coelo calamitatem. Vectigalium quoque mediam partem remittit. Alio

item tempore sterilitatis, *Nan kin* septem milliones condonat. Mittit per omnes provincias visitatores qui examinent Praefectos & rerum statum populique aerumnas.

Anno Cycli 29. Cometae ad ortum conspicui occasione libellus supplex offertur à Senatore *Fum ngen*, quo ostendit cometem scopae instar esse, qua portenditur everrendos ex Imperio ministros adultores & muneribus corruptos, quos inter, tres praecipuè notabantur: pro monitis carcerem in praemium retulit & mortis sententiam; at pietas filii pro patre vitam offerentis, Principem movit, ut mors cum exilio permutaretur.

Anno Cycli 30. visus Cometa. Anno 31. in *Ho nan* provinciâ tanta fames, ut carnibus humanis vescerentur. Fami subvenit ex aerario Regio pius Imperator. Jaones Coream invadunt, ferro & flammâ vastant omnia, multasque urbes suae potestatis faciunt: fugit Rex, & mittit legatos in Sinam pro copiis auxiliariis. Mittuntur mox copiae: fit pugna, & utrimque caedes ingens; tandem deleti penitus Japones: qui deinde legationem mittunt an Imperatorem, & veniam deprecati titulum sibi tribui rogant. Sequenti anno titulus eis conceditur *Ge puen vam*, hoc est *japoniae Regis*; sed vetuit in posterm legationem ab eo in Sinam institui.

[89] Anno 33. jubet Imperator, nequidquam repugnantibus ministris, aperiri auri & argenti fodinas in *Ho nan*, *Xen si*, & *Xan si*. Post sexennium easdem ocludi jubet.

*Anno Cycli 34. Imp. 25. (1597.) primitiae BB. Martyrum Iaponum, qui pro fide in Cruce transfixi. Anno Cycli 38. Imp. 28. (1600.) Lunâ 12. quae respondet Januario anni 1601. P. Matthaeus Riccius primùm aulam ingreditur, die autem 24. ejusdem Lunae Imperatori offert munera, inter que Imago Salvatoris ac Deiparae V.*

*Niu che*, seu Tartari Orientales jam formidabiles, è septem Dynastiis seu hordis, quibus constabant, post varia inter se bella, tandem ab uno capite in regnum evadunt. *Tan yu*, seu Tartari Occidentales, deliniti muneribus Regiis, à bello inferendo cessant.

Imperator liberum sibi ratus è binis, quos habebat, filiis, alterutrum successorem eligere, eò quòd neuter (quippe ex illegitimo thoro geniti erant) ad Imperium jus haberet, statuit haeredem declarare secundò genitum ex reginarum unâ, quam deperibat. Obtinet Senatus, allegans id per leges haudquaquam licere. Perstat tamen in proposito Imperator, perstat & Senatus, è quo alii castigati, alii ab officio depositi, alii rejectis dignitatis insignibus aulâ excessere. Cessit tandem legibus Princeps, & è serva Gynecaei primogenitum haeredem declarat.

Anno Cycli 41. Tanta in aula inundatio, ut muri urbis conrruerint.

Anno 44. Lunâ 2. die 1. Eclipsis solis. Anno 45. in Austro magna inundatio, & in *Xen si* sterilitas.

*Anno Cycli 47. Imp. 38. (1610) Lunâ 4. moritur Matthaeus Riccius, cum fama sanctitatis, anno aet. 58. Missionis 27. Huic Imperator magnum praedium in sepulauram assignavit.*

Anno Cycli 48. Tanta inundatio in urbe regia, ut nec equis, nec curribus utendis locus esset.

*Anno Cycli 52. Imp. 43. (1615.) prima et saevissima in Christi legem persecutio in Nan Kim mota à Xin kio è praecipuis Praefectis uno. Praecones Legis alii verberibus cesi et in caveis ligneis Macaum aucti, alii huc illuc dispersi, à Praefectis Christianis clàm servati. Post 6. circiter annos respirare et florere coepit res Christiana,*

*persecutore dignitatibus suis privato et ingloriè mortuo.*

Anno Cycli 53. Imp. 44. Tartari multis lacesiti injuriis, vi jam unitâ fortiores, non jam praedas agere, sed urbes etiam suae potestatis facere tentant. Movebat illos inter alia, quòd mercatores sui in *Leao tum* barbarè à Praefectis Sinensibus tractarentur, & facultatibus suis per nefas privarentur, ad haec Regis sui per summam perfidiam capti & obruncati jactura. Quare hujus filius cum valido exercitu urbem *Cai yuen* in *Leao tum* invadit ac capit. Facti sui causam [90] Imperatori conscribit, solam videlicet ministrorum suorum insolentiam. Paratus urbem restituere, & arma deponere, si modò acceptae injuriae fieret satis. Epistolam improvide Imperator summis Oraefectis committit, qui nec responso Regem Tartarum dignati sunt. Quo contemptu in furias actus, vovet 200. millia capitum Sinensium parenti suo se litaturum: mox cum 50. armatorum millibus *Leao yam* Metropolim capit, totamque ferè ditionem, unde progressus in provinciam Pekinensem, omnia fermè sui juris facit. Ipsam quoque urbem Regiam aggressurus, nisi supervenientes undique ingentes copiae eum ad *Leao yam* Metropolim cum spoliis remeare coëgissent. Hic se Imperatorem Sinarum vocari voluit Tartarus *Tien min* dictus, hoc est *coeli decretum* seu voluntas. Princeps planè barbarus & crudelis.

Anno 54. visae sunt myriades glirium & murium tranare magnum fluvium *Kiam* in provincia *Nan kim*, res hactenus hic nunquam visa.

Anno Cycli 55. Tartarus simulatâ legatione Pekinenses ditiones ingreditur; detectâ fraude, à Sinensium exercitu invaditur: utrinque caedes ingens. Fugam simulat Tartarus, sed mox Sinenses copias undique cingit caeditque cum ipso Duce ad interneccionem. Sequenti moc anno sexcenta millia militum submittit Imperator: Rex Coreanus 12. millia auxiliarium, ac prae Sinis longè fortissimorum militum sociat. Dubio diu marte pugnatum, tandem 50. Sinarum millia caesa. Victor Tartarus ad Regiae urbis moenia appropinquat, in qua 80. millia erant praesidiariorum. Tanta interim in urbe consternatio, ut Imperator in Australem aulam statueret migrare, nisi obstitisset Colaüs, dictians hac fuga acriores animos Tartaris addendos, & gravissimas toto Imperio perturbationes otituras.

#### **14. QUANM ÇUM, aliàs *Tai cham*, id est, magna tranquillitas. Regna, uno mense.**

Anno Cycli 57. Imp. 48. (1620.) Lunâ 7. Imperator VAN LIE moritur aet. 58. Succedit filius QUAM ÇUM, Princeps cùm adhuc puer esset, litterarum prae viris peritus, & supra aetatem prudens, sed uno post mense, prima scilicet die nonae Lunae ( errore & incuria, uti creditum est, Medici) declarato haerede extinctus est aet. 38.

#### **15. HI ÇUM, id est aliàs *Tien ki*, coeli manifestatio. Regn. 7.**

Anno Cycli 58. Succedit HI ÇUM, aliàs *Tien ki*, filius decessoris primogenitus. Prineps naturâ timidus, & plusquàm par erat Eunuchis fidens, è quibus 12. Millia numerantur. Ex toto Imperio nova advocate auxilia. Regi Coreano regia mittit munera, gratias agens de auxiliis sub avo missis, postulatque nova & majora. Inter caetera auxilia adfuit cum aliquot millibus mulier, seu Amazon Sinica, ex *Su chuen* provinciâ,

loco filioli, quem in proprio regno reliquerat (quod Regnum motibus cinctum sui juris est.) Classis quoque maritima praeparatur. Hac tiem occasione suadent Imperatori Doctores Paulus & Michael, ut ex urbe *Macao* tormenta bellica majora accersat. Sed antequam pervenissent, jam Tatarsi è tota ditione *Leao tum* ejecti, ipsa Metropolis recuperata, incolis scilicet crudelitatem Tartari Regis detestantibus, quem alia bella in Tartaria retinebant. Sed hic confecto mox bello, rursus in *Leao tum* irrupit, & Metropolim obsidet, è praesidiariis Sinis 30. Millia desiderata, è Tartaris 20. Millia: tandem proditione urbs capta, mxo edicto publico jubentur more Tartarico capillos radere, siquidem salvi esse vellent, quod postea per totam Sinam observatum fuit, tametsi milleni maluerint vitam & caput, quam capillos amittere. Mittitur cum novis copiis contra Tartarum fortissimus Dux *Mao ven lum* è prov. *Quam tum* oriundus: munit arcem *Xam hay* in insula *Cu* sitam, locum inaccessibilem, quo Tartaris aditus intercludebatur in Sinam.

*Hoc eodem anno, qui erat Imp. 2. (1622.) urbs [91]Macao, quae ob praeclara merita gentis Lusitanae, et maria à Pyratibus purgata, Regio favore iis pridem fuerat concessa, et uti olim totius Orientis et Japonicarum Missionum, ita nunc Sinicarum nobilissimum est emporium, à Batavis terra marique obsessa, sed irritò conatu; nam clade accepta navigia repetere compulsi sunt.*

*CYCLUS LXXIII. Annus post 1624.*

Anno Cycli 1. Imp. 4. fusta toti Imperio motuum civilium collosio accidit, increbrescentibus per 4. Provincias Lieu ce (de quibus supra) hoc est grassantium latronum ingentibus copiis.

*Anno Cycli 2. Imp. 5. (1625) prope Metropolim prov. Xen si monumentum lapideum, quo Lex sancta de scribitur, et 70. Evangelii praeconum Syriacis litteris in sculpta nomina, tandem è terrâ ceu sepulchro mille et amplius annorum essossum in lucem prodiiit, magno Neophytorum gaudio, et irrefragabili fidei, quam praedicabat societas iesu, testimonio.*

Anno Cycli 4. Imp. 7. Moritur Imperator TIEN KI aet. 32. Tyrannus item Tartarus *Tien mim* dictus moritur, cui successit *Tien çum* filius, patri per omnia dissimilis, mitis indolis, clemens, humanus.

## **16. HOAI ÇUM, aliàs çum chim, id est Augustum omen felicitatis. Regn. 17.**

Anno Cycli 5. Succedit HOAI ÇUM, seu çum chim frater decessoris, & filius QUAM ÇUM, natu quintus, litterarum amans, quas elegantissimè exarabat. Princeps optimaè indolis, Bonziis apprimè deditus, etsi de Religione Christiana, quam ab avo audierat, semper bene senserit, eamque fovit: suppliciorum rigorem mitigate in resolvendo lentus. Fidos ministros non audit. Vestium splendorem moderator, serici quoque texturis inhibitis. Praefectorum cum Eunuchis communi cationem interdicat. Milites Palatii ab Eunuchis introductos, viatico instructos, ad aedes partrias & amicos visendos mittit ad mensem, deinde iisdem reditum interdicat. Caeterum castus passim habitus, quique [92] legitimum thorum inviolatè servaverit. Auctor hic fuerat fratri



decessori, ut eunuchorum Principem (cui *Guei cum* nomen) longè potentissimum & crudelissimum è medio tolleret. Ab ejus enim arrogancia & protervia, & Aulae & Imperii ruinam imminere, *Guei cum* igitur sibi malè conscius, hoc imperante mox sumpto toxico gravius supplicium praevenit. Mortui cadaver à furente populo in frusta dissectum, ingens vis auri & unionum fisco addicta, multa fana eidem viventi ad memoriam ab adulatoribus per Imperium erecta, flammis abolita & solo aequata sunt.

Imperator, quòd acre bellum gerendum esset contra domesticos hostes, praedones scilicet, mittit cum novo exercitu *Yuen* Eunucheum, cum ampla potestate paciscendi cum Tartaro: *Yuen* verò vir subdolanus & perfidus, auro clàm corruptus, iniquis conditionibus paciscitur. Imperator pacem rescindit, *Yuen* ut ad eam admittendam compellat, sublato primùm aemulo suo *Mao ven lum* Duce fidissimo per venenum in convivio, auctor fit Tartaro, ut per aliam viam invadat Pekinum. Fit expedition pro voto usque ad aulam, quam & obsidet: advocatur Dux *Yuen* in auxilium: adest, & quidem per muros urbis nil sibi metuens introduce se sinit, moxque quaestione habita, proditionis convictus jugulatur; quo audito Tartarus solutâ obsidione in *Leao tum* spoliis onustus regreditur: varia post haec anceps belli utrimque fortuna per octennium circiter.

*Anno Cycli 8. (1631.) primi ex S. Ordine Praedicatorum, ac deinde S. Francisci, Sinam intrant.*

*Anno Cycli 10. Imp. 6. (1632.) pie moritur Sius Doctor Paulus è supremo Praeside tribunalis rituum Colaui, et rei Christianae columen. Pro hac tuendâ Apologiam in persecutione obtulit, in quâ et dominia sua, et facultates et familiam seque ipsum in pignus obtulit, siquid non sanctum Lex Christiana continere probaretur. Pro hac autem promovenda firmandaque patres Terentium, Rho, Adamum, et c. ad restaurandam Astronomiam et Kalendarium Imperatori felici cum successu proposuit. Reliquit autem hujus curae successorem Li Petrum itidem Colaum. Eunuchorum operâ è Gynecaeo praecipuae puellae, annuente Imperatrice, fidem et baptismum susceperunt.*

Anno Cycli 12. Imp. 8. Moritur Rex Tartarus *Tien çum*, cui succedit filius à colenda virtute *çum te* dictus, pater ejus qui proximam fundabit familiam. Princeps prudens, comis, quippe puer inter Sinas occultus vixerat, litteras, linguam, & mores Sinicos egregiè doctus. Unde Duces ac Praefectos Sinenses plurimos sua benignitate sibi conciliavit & attraxit, pertaesos scilicet tam pravi regiminis, quosque Imperatoris austeritas, ob infaustos armorum successus dirè saevientis abalienabat.

[93] Hoc & sequentibus annis nil nisi intestina bella, caedes, rapinae, à praedonum octo exercitiis, quae fuit potissima perdendi Imperii causa: nam à Tartarorum irruptionibus satis praemunitum jam videbatur. Octo perduellium capita pro summa rei inter se decertant, donec tandem ad duos perduellium Principes *Li* & *Cham* tota vis armorum devoluta est. Hi, ne alter ab altero consumatur, ab invicem recedunt: *Cham* quidem ad Occidentales provincias *Su chuen* & *Hu quam*, (de quo infra agetur) *Li* verò ad Boreales animum & exercitum applicant: & hic quidem è provincia *Xen si*, quam ex parte occupaverat, provinciae *Ho nan* Metropolim obsidione cingit, sed cum clade coactus eam solvere. Repetitur obsidui quae sex menses tenuit cum tanta obsessorum constantia, ut caro humana venalis exponeretur: adest tandem Imperatoris exercitus suppetias laturus, cùm extremum nil tale suspicans & metuens, exitium attulerit: nam cum ruptis Croci fluminis aggeribus latronum exercitum aquis delere moliretur, accidit

ut tota urbs cum 300. Incolarum millibus aquis hausta fuerit. Contigit miseranda haec strages nonâ Octob. Anni. 1642.

*Li* interim totâ provinciâ & deinde *Xen si* potitus, omnes quotquot erant Praefectos ubique interficit, Expraefectos mulctat pecuniis, populum verò benignè habet, onera etam & vectigalia remittens. Quo factum, ut multae copiae Imperatoriae ad se diffuerent, & ipse *Li* Dux latronum tanta auctus potentia jam titulum Imperatoris sibi vindicaret. Mox *Xen si* provinciâ subactâ, Pekinensem ingreditur, & ad ipsam urbem Regiam securus contendit, quò jam diu ante millenos clam immiserat subdolos, qui se adventante turbas cierent, & minimè dubius de tradenda urbe, per summam scilicet proditorum perfidiam & Praefectorum inter se & cum Eunuchis discordias. Praesidiariorum 70. Millia urbi tuendae praeerant, & tamen tertio ab adventu die portis ultro apertis urbem cum 300. Millium exercitu intrat, & rectâ ad palatium pergit ipsius Imperatoris. Hic jejuniis & Bonzaicis supplicationibus instituendis intentus, & omnium quae agebantur ignarus, tandem proditum se agnoscens, cum 600 armatis portis egredi tentat & gloriosè occumbere, sed desperatis confiliis & rebus, desertus ab omnibus, in palatium re. gressus, in hortum secedit, ubi in vestis fimbriâ proprio sanguine scripsit ejusmodi verba: *Mei me prodiderunt, de me statue quod placuerit, modò populo meo ne noceas.* Deinde stricto acinace nubilem filiam, ne in latronum manus incideret, dum tentat perimere, illa ictum declinans, brachio mutila exanimis concidit. Ad extremum fasciâ collo involutâ se ipsum Imperator suspendit anno aet. 36. Cum eon omen Imperiique tota [94] prosapia 80. ut fertur, millibus constans, paulatim extincta. Ad hujus exemplum supremus Colaui ibidem se suspendit, quod idem alibi & reginae & fidelio res Eunuchi praestiterunt. Regium cadaver diu quae situm, altero tandem die casu repertum, in conspectum Tyranni in solio sedentis adducitur, à quo multis injuriis barbarè habitum. Binis ejusdem filiolis (nam primogenitus fugâ evaserat) capite truncatis, ac Praefectis omnibus crudelissimè mactatis. Urbe deinde totâ militum furori libidinique permissâ, mox ad debellandum fidelissimum Ducem *V san quei* sese accingit, qui cum suprema potestate exercitui Sinico contra Tartaros praeerat in *Leaotum* : obsidetur urbs & arx validissima 70. Leucis ab urbe Regiâ distans. Ut verò ad deditionem filium impellat latro, patrem ipsum ante urbis muros constituit, comminatus acerbissimam necem, nisi urbem tradat. Filius *V san quei* è muro patrem aspiciens, flexis genibus ab eo veniam deprecatur, plus se Regi & patriae, quàm patri debere contestans, adeoque millies potiùs moriendum, quam latroni turpiter serviendum.

Laudavit filium pater, seseque carnificinae pro eadem patria constantet obtulit. At filius ulturus Imperatoris & patris mortem, ad Tartarum Regem cum muneribus legationem mittit, invitans ad arma & muxilia contra Tyrannum pactis conditionibus: adest hic alacer cum 60. Millibus. Obsidio solvitur, fuis praedonum copiis. *Li* Tyrannus in aulam regressus, nec ibi secures consistens direptisthesauris regiis, urbeque & aulâ flammis traditâ, cum exercitu fugit in *Xen si* provinciam, Tartaro equis pernicibus fugientem turbam ferro & armis persequente. Rex interim Tartarus *çum te* in Sinarum ingressu moritur, postquam filium natu minorem haeredem declaraverat, commissâ belli & Imperii curâ *A ma vam* patruo Regulo. Mox puer sexennis & supra aetatem prudens, urbem triumphans ingreditur, & communi totius populi congratulatione & plaus tanquam Assertor patriae excipitur, & in solio collocatus Imperator salutatur,

omnibus uno ore acclamantibus, *vivat Imperator, vivat* (Van suii, Van suii) *de cem et decem millibus annorum*, & haec vox populi Imperium illi contulit. XUN CHI dicebatur Imperator, fuitque conditor novae familiae Imperialis Tartaro-Sinicae, *Ta cim* dictae, hoc est *magnae puritatis*. Hic annu Imperii sui primum velut bene sibi ominatum, statuit eum, qui fuit decimus septimus & funestissimus decessori *çum chim*. Fuitque Cycli 73. Annus 21. Post Christum verò 1644.

## XXII. Familia.

### 1. XUN CHI, id est prosperum regimen. Regn. 17.

*V san quei* (à quo creditur in praelio occisus *Li Tyrannus*) iam serò agnoscens, ad canes arcendos à se leones incautè admissos, admittit à Tartaro Reguli dignitatem & titulum *Pim Si, seu pacificantis occasum*, [94] assignatâ pro sede ipsius Regiae Metropoli *Si ngan* provinciae *Xen si*, quam latro ferro & igne priùs vastaverat. Tartarus subactis feliciter provinciis Borealibus, ad Australes animum & arma convertit, anno sequenti proclamatus jam erat Imperator in *Nan kim* Metropoli, *Hum quam* nepos *Van lie* Imperatoris; at mox captus, & Pekinum abductus, cum primogenito *çum chim* (verone an ficto, incertum) strangulatur. Itur exinde ad Metropolim prov. *Che kiam*, in qua *Lo vam* Regulus, Imperatoris titulum recusat, vidensque urbem Tartoro cinctam, ut suorum excidium praeverteret, è moenibus flexis genibus supplicabundus, *de me*, inquit, *quod vultis statuite, pro meis subditis ecce me victimam*: quo dicto ex urbe prodiens, se Tartaro tradit: quae pietas, si non Principem, at urbem certè servavit & cives. In provincia *Fo kien* alter *Van lie* nepos, *Lum vu* dictus, imperator proclamatus, sed à Tartaro provinciâ totâ pacificè occupatâ, mox occiditur. Erat tum Architalassus è *Fo kien* oriundus, *Chin chi lum* dictus, qui Macai Lusitanis primum servierat, & sacro fonte ablutus, Nicolai nomen erat sortitus. Hic ex parvis initiis, & magnis deinde commerciis cum Hispanis & Hollandis, factus ex Pyrata famoso, ingentium classium Ductor, Imperatori primùm *Lum uu*, deinde Tartaro, sed simulatè se subjecerat, à quo Regulus creatus, & ad solemne convivium invitatus, specie honoris majoris in aula adpiscendi delusus, ad eam honorificè deducitur. Interim filius *Que sim* cautior factus, in totius classis paternae Imperium succedit, nullis aut patris adhortationibus, aut Tartari promissis à fidei erga Regem & patriam proposito dimovendus.

Jam ad *Quam tum*, & deinde *Quam si* provincias debellandas Tartaricus descendit exercitus, obvias quasque urbes & loca facili negotio capit: verùm in provincia *Quam si* victoriarum cursus nonnihil stitit. Erat ibi Prorex *Kiu Thomas*, & militiae totius, quae ex variis provinciis eo confugerat, Dux supremus *Chin Lucas*, ambo Christiani. Pugnatum est acriter: tandem Tartari victi caesique. Mox victores Sinae Imperatorem eligunt *Yum lie*, dictum è stirpe *Van lie*, qui ex Metropoli provinciae *Quei cheu*, ubi Regulum agebat, deductus, regiam sedem in *Chao kin* urbe prov. *Quam tum* constituit. Huic à consiliis erat Eunuchus praecipuus *Pan Achilleus*, fidei christianae zelosissimus, cuius operâ & unâ patris Andreae Coffler, ipsa Imperatoris mater, uxor & filius Imperii haeres sacro fonte abluti sunt. Et hic quidem, ut erat nomine, ita & re sperabatur futurus Sinarum Constantinus. Regina certè, annuente Imperatore, legatum misit Michaellem

Boym ad praestandam S. Sedi obedientiam, uti Urbs & Orbis agnovit. [96] Percrebrecente igitur famâ tam victoriae de Tartaro reportatae, quàm novi Imperatoris, mox in prov. *Fo kien Vam* quidam Sacrificulus (olim Dux militiae) cum latronum undequaque emergentium cuneis, nec non *Que sim* Architalassus, Nicolai filius, captas urbes recuperant, hic maritimas, ille mediteraneas: in prov. *Kiam si, Kin* Prorex à Tartaro deficit, nec uno praelio de iisdem victor extitit.

In Septentrione duo belli Duces *Ho & Kiam* singuli exercitum conflant. Dux *Ho* plurimas urbes provinciae *Xen si* sui juris facit, ipsamque Metropolim obsidet, sed irritò successu: *Kiam* verò in provinciâ *Xen si* cum 140. equitum millibus & numerosiori peditatu Tartarorum exercitum duobus praeliis ita caedit & fugat, ut jam aperto Marte congregi Tartarus non auderet: sed hic tamen partim astu & dolis, nec non auro & promissis, partim cunctando, partim proditione nata ex mutuis inter Sinarum Duces discordiis, vi demum & armis tam in Austro quàm Septentrione, omnium ferè victor urbium & hostium, trium aut quatuor annorum spatio tandem evasit.

Ad Occidentem in prov. *Su chuen* grassabatur alter latronum Dux *Cham hien chum*, de quo suprâ; Sinicus Nero, aut potiùs carne humanâ indutus daemon, etsi in speciem comis ac suavis erga milites, quibuscum, ut miles gregarius, ludebat & epulabatur. Hic postquam barbarè saeviisset in provinciis *Hu quam, Ho nan, Nan kim, Kiam si*, tandem furorem omnem in prov. *Su chuen* convertit. Primò è familia praeterita Regulum, aliosque occidit: non semel ob unum sontem levi de culpa, omnes ejusdem plateae, in quae is habitaverat, jubebat interfici, & ob unius militis crimen, totam legionem duorum millium, & ob unius Medici errorem in curando carnifice suo, mox centum Medicis vitam ademit. E sexcentis, quos habebat Praefectis, exacto sui muneris triennio, vix viginti supererant, caeteris vario mortis genere levi de causa mactatis. 5. millia Eunuchorum neci dedit, quòd inter eos fuisset, qui eum non Regis titulo, sed proprio *Cham hien chum* nomine compellasset. Ob unius sacrificuli (qui pridem auctor fuerat gravis persecutionis contra legem Christianam) 20. millia Bonziorum orco sacrificat. Laudat se coram Patribus Ludovico Buglio & Gabriele de Magallanes (quos modò amat, modò neci quater destinat) tanquam rem praeclaram egisset, *Hi*, inquit, *vobis vitam demere volebant, sed caeli Dominus me misit, ut de iis poenas exigerem*. Saepe collaudabat legem Christi, promittens, à se, ubi imperio potiretur, magnificentum Deo Templum extruendum. Ad litterarium examen & gradum studiosos undique edicto convocat. Adsunt 18. millia: hos omnes [97] in urbis gymnasio congregatos ad unum interfici jubet, quod, uti dicebat, suis sophismatis populum ad rebelliones sollicitarent. Anno (1646.) Imperatoris *Xun chi* tertio, profecturus in *Xen si* contra Tartaros, totius Metropolis *Chim tu* cives vinculis constrictos extra urbis moenia jubet consistere; ipse obquitans in medio populi, qui flexis genibus cum ejulatu & lacrymis vitam deprecabatur, stans tantisper quasi dubius quid ageret, mox, *occidite*, inquit, *occidite hos perduelles*. Quare omnes Tyranno inspectante sunt trucidati. Feruntur fuisse sexcenta capitum millia, è quibus innumeri parvuli, operâ Patrum baptismatis aquâ abluti, è carnificum manibus ad coelos evolarunt. Deinde militibus congregatis edicit, ut exemplo suo quisque uxores suas, velut expeditionis bellicae onera & impedimenta, è medio tollat; ipse ex 300 quas habebat, 20. dumtaxat ad trium Reginarum obsequium puellas sibi reservat. Totus exercitus Ducis imperium secutus, omnes, quotquot erant,

mulieres interficit; mox incensis urbibus & Metropoli amplissimâ, *Xen si* provinciam ingreditur. Cùmque ei jam tertio nuntiaretur, quinque exploratores Tartaros jam comparere, ipse è tentorio sine lorica & galea prodit extra castra rem exploraturus. Mox prima sagitta à Tartaro emissa cor Tyranni transfixit, unde in terram ex equo mortuus corruit: quo prostrato, & deinde caeso & dissipato exercitu, populi *Su chuen* residui Tartaros velut servatores suos laetè excipiunt. Debellatis jam fermè 11. Provinciis supererant quatuor Australes, quae *Yum lie* Imperatori parebant: mittuntur igitur ex aula tres Reguli trium exercituum Ductores. Obsidetur Metropolis provinciae *Quam tum*. Annum ferè tenuit obsidio cum magna utrimque strage, donec tandem 24. Novemb. 1650. Cycli anno 28. Imperatoris verò 7. Urbs capta furori militum & depredationi ad decem dies concessa, ubi 100. ferè millia trucidata sunt. Inde ad Regiam sedem *Chao kin* movet exercitus; sed *Yum lie* Imperator suis diffisus viribus, in *Quam si* provinciam, & deinde in *Yun nan* fugere compulsus. Anno sequenti moritur *A ma vam* tutor & patruus Imperatoris, vir prudens, comis, & ab ipsis Sinis amatus, & cui praecipuè Imperium Tartarus debet. Hujus frater Regulus tutelam sibi vindicabat, sed cùm primates omnes *Xun chi* 14. annos agentem, & cum filia Regis Tartarorum *Tan yu* Occidentalium jam uxoratum, parem Imperio per se administrando esse contenderent, adeo ut suspensis ad Palatii fores Praefecturae suae insignibus, negarent se illa ab alio quàm à *Xun chi* recepturos, tandem Regulus acquievit. Caeterùm *Xun chi* praeclaris naturae dotibus instructus Princeps, ut sibi Sinas devinciret, aditus primùm ad se faciles praeter morem Regum Sinensium facit.

[98] Leges, litteras, & statuta politicae Sinicae, paucis mutatis, intacta voluit, ne quidem permittens, nisi ex singulari dispensatione, ut litteras & linguam Tartaricam addicerent. Sex Concilia suprema, à quatuor mille annis instituta retinuit, sic tamen, ut tam Praefectis Tartaris, quàm Sinis totidem constarent singula; ea verò, in aula sola, uti & è sanguine regio Principum sedes, stabilivit, abolitis sex supremis conciliis, quae in aula Australi sub familia praeterita, & unà in Boreali floruerant. Palladem armatam cum togata egregiè consocians, Philosophis Sinicis, ut antea, regendas urbes & provincias concessit. Quia verò sagacissimi ingenii & magni judicii Princeps probe intelligebat, ab sincero & incorrupto Litteratorum in examine ad gradus delectu pendere salutem & ruinam Imperii; cùm fortè comperisset auro emptum censorum & examinatorum favorem, ex his sex & triginta inexorabiliter capite plecti jussit, candidati autem, quotquot usi muneribus fuerant, jussi denuò in certamen descendere, victoribus veniam & gradum indulgens, victos vero cum tota eorum familia in Tartariam suam voluit relegari, quo supplicii genere hodieque plurimi toto Imperio criminum rei quotannis mulctantur ut Tartariae deserta repleant, gentemque multiplicent, filiis saltem & nepotibus Tartaricum genium paulatim suscepturis.

P. Joannem Adamum Schall, vulgò *Tam jo vam*, singulari prosequitur amore, quem proinde non alio, quàm *Ma fa*, quod Tartaris *seniorem patrem* significat, nomine compellat. Europeam Astronomiam introducit praefecturâ supremâ tribunalis Matheseos ei commissâ, nequidquam freudentibus aemulis & praecipuè Mahometanis, qui omnes à 300. jam annorum possessione deturbati sunt. Raro privilegio eidem concedit, ut quovis tempore absque ullius tribunalis interventu immediatè libellos supplices offerret, quos ferè centum obtulit: quae res in magnum cessit Imperii &

religionis emolumentum. Hinc Religio Christiana, quae hactenus quasi sub modio latuerat, jam super tecta ubique praedicabatur, templo novo cum regia auctoritate, & publica solemnitate erecto, anno jubilari 1650. altero deinde ad ortum templo, regio item favore exaedificato, templum & aedes Adami ipse Imperator adire dignatus est, & quidem intra biennii spatium circiter vigesies.

Anno Cycli 33. (1656.) prima legatio à magno Moscoviae Duce, quae quòd honores more & ritu Sinico exhibere renueret, optato successu caruit secus quàm altera legatio decennio pòst instituta Fuit & alia magnifica ab Hollandis legatio, spe etiam suâ & successu frustrata.

Anno Cycli 36. Imperatoris 15. (1659.) Architalassus [99] *Que sim*, Nicolai filius, qui hactenus ad littora maritima continuis excursionibus cum magna strage praedas egerat, cùm anno praeterito 500. navigia in orae Nankinensis scopulos & syrtes allisa amisisset, tandem cum ter mille navigiis, variis oppidis toto itinere occupatis, *Nan kim* metropolim obsidet. Urbis & provinciae supremum Praetorem agebat *Lam*, adhuc adolescens & Sinensis. In Concilio bellico Tartarorum Ductor negat urbem defendi posse, quando à tanta civium multitudine nulla possit sperari securitas, quare omnes ante omnia trucidandos. Cohorruit ad barbari consilium Praetor, & *si quidem*, inquit, *non aliter urbi & securitati sit consulendum, me ante omnes trucidate*. Repressit haec vox barbarum pectus, simulque civibus vitam servavit. Vix vingiti ab obsidione dies effluxerant, quando incidit dies natalis Architalassi, quem à toto exercitu solitis ludis & symposiis ad triduum celebrari gestiebat. Obsessi interim, in noctis silentio nil tale opinantes, & somno vinoque semisepultos adeò cautè fortiterque aggrediuntur, ut tribus hostium millibus desideratis, soluta obsidione, repetere, navigia sint compulsi, relictis omnibus impedimentis in praedam victorum. *Que sim* cladem tantam, & recens illatam patri fratribusque necem, quàm posset, ulturus, non multò pòst cum bellica Tartarorum classe confligit: post acre certamen, tandem Tartarorum navigia partim in fundum dejecta, partim fugâ elapsa, partim capta cum quatuor circiter mille Tartaris, quos omnes, occisis eorum ductoribus, naribus & auribus truncatos, in continentem remisit. Cùm verò tam probrosa spectacula in aulae conspectu diutius intueri non sustinerent commilitones, regio jussu ad unum omnes contrucidati sunt, quippe qui aut vincere, aut pro patria gloriosè mori debuerant.

Anno Cycli 38. (1661.) *Que sim* Architalassus urbem & arcem munitissimam Insulae Formosae à Batavis munitam terrâ marique obsidet. Tandem post quatuor mensium obsidionem, fame obsessos premente, & desperatis, quae expectabantur auxiliis, cum tota insula pactis conditionibus, in postestatem Sinensium cessit; ibique suae dominationis sedem *Que sim* constituit, sed minimè diuturnam; quippe anno mox sequenti, cùm accepisset, foedus Batavos inter & Tartaros contra se initum, ad haec ab Hispano Milite in Philippinis detectâ conjuratione, multa Sinensium millia contrucidata, recens denique à filio admissum incestûs flagitium, in tantam actus est rabiem, ut digitos dentibus suis dilanians, furibundi instar expiraverit.

Sed & hoc anno 1661. extincta, quae residua erat familiae *Mim* praeteritae scintilla, *Yum lie* scilicet [100] Imperator, de quo suprâ. Confugerat ipse in Regnum *Mien que* (vulgò *Pegu*) provinciae *Yun nan* contiguum, quando Tartarus cum novis copiis adest. Datis ad Regem minacibus litteris profugum reposcit: traditur absque morâ cum tota

familia, & in Metropolim infelix *Yum lie* adductus, elisis laqueo faucibus strangulatur. Duae Reginae mater & conjux aliaeque Pekinum abductae, & cum honore in Palatio separato hodieque servantur, & uti constat, fidem olim Christo datam constanter servant.

Fatalis quoque hic annus fuit *Xun chi* Imperatori Tartaro-Sinico, qui meliùs coeperat quàm desiit. Causam mortis immaturae praebuit impotens amor mulierculae, quam miser deperibat. Ut autem eâ potiretur, maritum ad se vocatum, quasi de munere suo malè administrato increpitem, alapâ inflictâ à se repulit: hic domum reversus, post triduum moerore consumptus obiit. Quo cognito conjugem in aulam vocat, & Reginam à legitima secundam praeter morem creat. Filiolum ei parit nova nupta. Natalis regiâ solemnitate celebratur. Post trimestre moritur infans, & natum mox secuta mater. Quàm Regi luctuosa acciderit utriusque mors, vel inde patet, quòd prae furore ac dolore amens, arrepto gladio sibi necem intulisset, nisi Regina mater & Eunuchi impetum cohibuissent. Voluit tamen 30. hominum spontanea morte placari manes concubinae, ritu apud Sinas execrando, quem barbarum morem successor deinde sustulit. Indixit etiam non solùm aulae proceribus, sed totius Imperii praefectis per mensem, ipsique plebi per tridui spatium, luctum habitumque funebrem, tanquam pro Imperatrice, quo eam titulo à morte honoraverat. Modus verò in funebri apparatu suprâ dignitatem fuit & decorum. Pellicis cadaver sacrophago rari pretii inclusum, & unionibus instratum, more Tartarico rogo imponitur, in quem magna vis auri & argenti, nec non serici, & regiae supellectilis injecta, & flammis absumpta, ducentis quoque aureorum millibus in milites & egenos distributis: defunctae cineres, ipse Rex muliebriter ejulans, in urna argentea suis manibus collocat, quorum amorem Regina moriens unicè commendaverat. Bonziorum autem greges ad duo millia cantibus suis & naeniis & insulsis superstitionibus miserum Regem adeò jam dementaverant, ut & Gynecaei Virgines & Eunuchos ad assumendum sacrificulorum habitum invitaret, atque ipse insuper jam in reprobum sensum declinans, raso capite, victu, & vestitu Bonziorum indutus, tribus etiam erectis in ipso Palatio delubris, ad Idola, quae antea vilipenderat, adoranda, nunc hoc nunc illud per urbem fanum adiret.

Non defuit hîc muneri suo Adamus per libellos supplices [101] ad pristinam frugem conatus miserum revocare; sed qui monentem plerumque erat secutus, moriturus jam non audit: admissus tamen aliquot ante obitum diebus, vetansque coram se genua flecteret, postquàm loquentem audiisset, propinari jubet hospiti potum *cha*: nec plura collocutus, domum dimisit. Auditus interim à suis incusare suam negligentiam, & ut daret seriae, etsi jam serae poenitudinis specimen, accepto penicillo, 12. puncta amnistiae per Imperium indicendae conscribit: demùm sentiens sibi jam abeundum, vocatis ad se quatuor magnatibus, fatetur culpâ suâ malè administratum Imperium: quòd patri & avo, nec non regulis & bene meritis minus sit patrocinatus; quòd matris consilia contempserit; quòd ex auri cupidine stipendiis proceres defraudarit; quòd rebus curiosis addictus multa inutiliter prodegerit, quòd populum non ut filios habuerit; quòd eunuchos admiserit ac foverit; quòd denique Reginam nuper defunctam inordinate amaverit, in eaque deflenda tam sibi quàm subditis molestus fuerit. Postremò filiolum octennem quatum virûm tutelae commendans, visurus jam patres suos vestem petiit, quam cùm induisset, continuò valefaciens collectis cruribus ac brachiis, *ecce*, inquit, *abeo*, ac mox ex variolis decessit sub medium noctis, aetatis anno 24.

Manè insequenti Bonzii omnes è Palatio ejecti. Sub meridiem loculo cadaver includitur, centum post dies (quod iis fit qui ex variolis obierunt) rogo imponendum. Postridie octennis haeres in solio collocatur, & ab omnibus ritè salutatur Imperator. *Consulat lector librum cui titulus, De initio & progressu Missionis Sinensis, & alium de historiâ novâ Tartaro-Sinicâ P. Fran. de Rougemont, qui de totâ Xun chi imperantis serie conscripserunt.*

## **2. Cam hi, id est firma tranquillitas. Regnat hodie.**

Anno Cycli 39. (1662.) succedit *Cam hi* filius natu minor octennis, quem, relicto primogenito, pater elegerat more inter Tartaros usitato, ubi sola patris voluntas tamquam à caelo delapsa inviolabiliter servatur.

Initio sub tutoribus quatuorviris res publica moderatè pacificèque administratur. Eunuchorum princeps tamquam tot malorum fax & incentor capite plectitur. 4. millia Eunuchorum è palatio proscripita, mille reliquis ad infima & vilissima ministeria reservatis. Edictum promulgatur, quo sub poena capitali jubentur incolae totius orae maritimae per sex provincias, mutare solum, & per trium ferè leucarum spatium ad interiora continentis commigrare, pagis, arcibus & oppidis maritimis solo aequatis, omnique prorsus maris commercio interdicto; quo factum est ut plurima hominum millia, quae piscatu vitam aegre [102] traebant, aerumnis & fame interierint, templa etiam non pauca Christianorum cum idolorum delubris abolita sint: quin & civitas Macaensis eandem ruinam erat subitura, jussis Lusitanis mutare sedes, nisi Adamus in primis periclitanti urbi succurrisset: hinc maritimi hostis otentia adeò tandem debilitata est, ut post 20. circiter annos *Formosa* Insula ultrò ventura sit in potestatem Tartarorum.

Anno Cycli 41. *Cam hi* Imp. 3. (1664.) gravissima & universalis persecutio mota contra praecones Legis Christianae, *de qua consule Relationes PP. Gabiani, Rougemont & Grelon.* Promulgatur edictum Regis contra Religionem tanquam rebellionis & pravae doctrinae magistram, cujus caput Joan Adamus & tres socii acti rei 9. catenis onusti, è carcere ad varia trahuntur tribunalia. Citati in aulam omnes Europaei sacerdotes. Libri christiani, numismata, &c velut rebellionis tesserae, flammis tradi jubentur: Ecclesias tamen & sacras imagines violari, & Christianos divexari prohibetur.

Anno 1665. 16. Aprilis, in generali omnium Ordinum consessu damnatur Adamus primò ad laqueum, deinde ad crudelissimi supplicii genus, quo per minutissimas dissectiones corpus spirantis mutilatur. Sententia à coetu Regulorum & Quatuorvirùm confirmanda defertur, cùm derepente urbs tota contremiscit, & iteratis motibus concutitur. Indicitur publica amnistia, solvuntur è carceribus rei, uno Adamo excepto, qui post mensem, cùm pridie natalis Regis palatium conflagrasset, à vinculis liber dimittitur: relegantur (quatuor exceptis) qui in aulam venerant Sacerdotes Europaei (tres è D. Dominici, unicus è Seraphica familia, & 21. è Societate) in prov. *Quam tum* metropolim. 15 Aug. piè & pacificè P. Adamus moritur, declarandus deinde innocens, & magno praedio in seputuram, nec non pristinis titulis & elogio donandus ab Imperatore.

Anno Cycli 43. (1666.) moritur *Sony* Quatuorvirùm natu major. *Cam hi* solenni ritu adit Imperii regimen, quod magnâ cum laude prudentiae & aequitatis hodieque



moderatur. Justitiae certè mox suae, aut potiùs divinae specimen initiò dedit in Quatrumvirùm altero *Su ca ma* nominato. Hic ut erat consilio & autoritate prae caeteris eminens, ita & hostis Christiani nominis eò acerbior, quò dissimulatio. De 20. defectibus accusatus in vincula abripitur, bonisque fisco addictis damnatur ad mortem acerbissimam: Rex sententiae subscribit, mitigatâ aegri hominis poenâ, & in laquei supplicium commutatâ. Palàm ergò pridie Nonas Septembris septem filii & nepotes capite plexi, filius natu tertius minutatim concisus, patri denique fauces nervo elisae.

Anno Cycli 45. Legatio Lusitanica singulari [103] favore ab Imperatore excipitur, quae res urbi Macaensi firmandae profuit.

Anno Cycli 46. (1669.) jussu Imperatoris examinantur ac deteguntur errores novi Kalendarii Sinici à Ferdinando Verbiest, qui à *Xun chi* decessore è prov. *Xensi* in aulam fuerat evocatus. Ediderat illud *Yam quam sien*, qui loco Adami Mathematicae praesidebat, & blasphemus & pestifero suo libro aulae proceres, Bonzios, Mahometanos contra Christi legem & Europae Astronomiam concitavit; sed haec cum Calendario è tenebris in lucem pristinam revocata. Quin & Religio Christiana in comitiis Imperii generalibus post 7. dierum examen declaratur, *Nihil pravi, aut quod seditionem redoleat, continere*: revocantur ab exilio ad pristinas Ecclesias Sacerdotes Europaei diplomate regio, quamvis eodem novae Ecclesiae vetentur extrui, & indigenae Christi legem amplecti. *Yam quam sien* praefecturâ exiit, & ad plebeiorum sortem, ac dein ad mortem damnatur: sed ab hac absolutus, & in patriam remissus, paucis post mensibus in itinere pestilenti ulcere à Deo percussus interiit. Noster verò Ferdinandus Ephemeridum praefectura donatur, plurimis deinde titulis ac favoribus hodieque auctus ab Imperatore, quem etiam ad 5. menses magistrum habuit in Mathesi. *Consule librum, cui titulus: Innocentia Victrix; & alterum P. Ferdinandi, cui titulus: Astronomia Europaea ex umbrâ in lucem revocata.*

Anno Cycli 50 (1673.) novus turbo ac procella Imperium concutit *V san quei* (de quo supra) potentissimus regulus in Prov. *Yun nan*, qui Tartaros malè providus in Sinam introduxerat, in aulam vocatus ire renuit, nisi cum 80. millium comitatu. Mox dimissis legatis Tartaricum jugum excutit. Sinicum constat Kalendarium quod ad vicinos & clientelares Reges mittit. Hoc Rex Tunkinensis aliique admittere renuunt, mittuntque ad Imperatorem. *V san quei* interim tres Provincias *Yun nan*, *Su chuen*, *Qui cheu*, suae potestatis facit, & insuper mediam ferè partem prov. *Hu quam*: major hujus filius in aula capite plectitur. Detegitur conjuratio, trucidantur rei omnes. Bienniò post rebellant Reguli *Fo kien* & *Quam tum*, patre utriusque pridem defuncto habitumque & pileum Sinicum induunt. Accessit his Insulae Formosae aliarumque Dynasta maritimus. Actum erat de Tartaro, si quidem junctis animis & armis pro patria libertate decertassent: sed Dynasta cum à Regulo *Fo kien* velut inferior tractaretur, mox arma in ipsum convertit. Multa utrimque commissa praelia, cladem ut plurimum referente Regulo. Ex aulâ interim cum exercitibus mittuntur Reguli Tartari; in *Hu quam* ipse patruus Imperatoris, alius in *Che kiam* & *Fo kien*, alius in *Quam tum* & [104] *Quam si*. Regulus *Fo kien* tot cladibus fractus, suisque diffisus, raso rursus capite se Tartaro dedit, à quo benignè habitus, legioni tantisper praeficitur. Regulus verò *Quam tum*, quòd item ab *V san quei* inferiore, quàm par erat, titulo donatus esset, rupto foedere, totam rursus ad Tartarum reduxit provinciam. Eodem anno (qui erat 1675) 12. Julii Imperator adit

templum & aedes nostras, ubi penicillo regio binos cubitales exarat characteres *Kim tien*, hoc est, venerare coelum, seu coeli dominum, eosque sigillo regio munitos nostris consignat. Hujus exemplaria trium Ordinum Religiosorum templis & aedibus per Imperium praefixa vim hîc obtinent tacitae approbationis legis Christianae.

Anno Cycli 56. Imp. 18. (1679.) *V san quei* senio confectus moritur, acclamatur Imperator hujus filiulus *Hum hoa* dictus. Eodem anno, 2. Septembris, sub 10. horam matutinam, regiam urbem & loca vicina tam horribilis terrae motus concussit, ut innumera palatia, deorum fana, turres & urbis moenia corruerint, & sub ruinis sepulti supra 400. & in proximo aulae oppido *Tum cheu* dicto supra tringinta hominum millia sub aedium ruinis oppressa. Quia verò ad trimestre ferè terraemotus tametsi languidior, per intervalla repetebatur, ipse Imperator, principes & proceres palatiis suis relictis sub tentoriis habitabant, & subdio vitam trahebat misera plebs, quam pius Imperator solatus est, ex aerario depromens, quo & pauperes sub ruinis oppressi, suo sarcophago conderentur, & aedes collapsae restaurarentur.

Ejusdem anni mense postremo, qui jam erat 4. Januarii (1680.) Imperatoris palatium, orto repentè incendio, paucis horis absumptum est. Damnum excessit duos millones 850000. aureorum. Quarto ab incendio die Imperator ad saltum suburbanum venationis gratiâ, quam amabat impensè, profectus est. Liceat hîc obiter in laudem imperantis Principis afferre pietatis ejus & justitiae specimen, quod inter venandum, aliquando praebuit. Fuit, cùm eminus conspicaretur monumentum magnificum, quod esse audiens postremi è familiâ praeteritâ Imperatoris *çum chim*, quem *Xun chi* pater honorificè sepeliendum curaverat, eò properè divertit, flexisque ante tumulum genibus illachrymans, exclamavit, *O*, inquit, *çum chim Imperator, tu nosti, quod mortis tuae adeò miserandae nos causam non dederimus, tui te subditi perduelles ad hanc te impulerunt*. Tum accensis de more suffitibus, vultuque in terram prostrato, eidem ritè parentavit. Aliàs cùm inter venandum procul à turbâ incidisset incognitus in senem amarè deflentem unicum filium à Praefecto Tartaro vi abreptum, princeps rei motus indignitate, senem jubet equo suo à tergo insidere, & ad aedes raptoris [105] properare. Duarum leucarum erat iter. Mox hominem criminis convictum jubet coram proceribus, qui undequaque advenerant, capite plecti, & senem ipsum in ejus praefecturam succedere, addens simili poenâ mulctandum, si in officio suo similiter deliquisset.

Anno Cycli 57. (1680.) Regulus prov. *Quam tum*, tametsi jam subditus, Tartaro tamen suspectus erat, eò quòd turbulenti genii vir ex commercio maritimo, contra Regis praescriptum, cum Hispanis & Batavis potentissimus evaderet, ad haec in ruinam Macaensis urbis intentus esset, & magnâ in exercitu 40. millium autoritate polleret. Quare cùm jussus esset ab Imperatore in provinciae *Quam si* perduelles arma movere, cùm fortè ab exercitu hinc inde distracto in urbem quampiam se contulisset, in provinciam *Quam tum* & palatium suum astu quopiam reductus est, ubi elapsis aliquot mensibus, à duobus magnatibus, qui 17. dierum spatio ex aulâ eò convolarant, die 9. Octobris multò manè, oblato, honoris causâ, laqueo, jussus est sibi fauces constringere, quo tempore 112. factionis socii (quos inter tres ejusdem fratres) capite plecti, dignus alioqui meliori sorte princeps, quippe qui de Deo & lege nostra optimè sentiebat, & ejus praeconibus, suprâ quàm dici potest, semper impensè faverat. Quòd autem immensis ejus opibus fisco addicendis inhiaret Tartarus, placuit Reguli patris necdum sepulti,

sarcophagum recludere, ut explorarent, an habitu pileoque Sinico cadaver indutum foret, quod cùm comperissent Tartarico more vestitum bona omnia, ad reliquos fratres, quos inter gener erat Imperatoris, aliosque affines transierunt.

*Hoc item anno exeunte RR. PP. è sacrâ D. Augustini familiâ ex Philippinis Macaum appulsi, Sinam ingrediuntur.*

Anno sequenti Regulus *Fokien* (de quo suprâ) ob tyrannidem praecipuè in plurimos Praefectos sibi suspectos, dum rebellaret, exercitam, in aulâ coram omni populo in partes dissectus est, & canibus objectae carnes: fratres tametsi insontes capite plexi. *Yunnan* provinciae metropolis à Tartaro occupatur. *Hum hoa* Imperator spontaneo laqueo Tartaricum supplicium antevertit. *Vsan quei* patris pridem defuncti ossa è tumulo eruta, & in curiam transportata, partim ad terrorem cum infamiae notâ variis locis affixa, partim in pulverem contusa, aëri & ventis in ludibrium dispersa sunt.

Hic quoque annus 1681. centesimus est propagatae à Soc. Jesu in Sinâ Religionis Christianae.

Anno Cycli 59. (1682.) extinctis jam tribus Regulis, & provinciis 15. feliciter debellatis, necnon pace per Imperium stabilitâ, Imperator natale solum & majorum suorum sepulchra statuit [106] invisere. Iter iniit in Tartariam Orientalem die 23. Martii cum principe haerede declarato, tribus Reginis, & praecipuis Palatinis, & tribunalium Magistratibus & 70. circiter millium hominum comitatu, in quo comitem & sibi ubique assistentem habere voluit Ferdinandum Verbiest, *qui quòd isthic semina quaedam Religionis Christianae comperisset, Tartaricam Grammaticam composuit, quae nunc è regiâ Bibliothecâ in lucem prodit, & Deo aspirante, usui erit venturis in Tartariam Evangelii praeconibus.*

Anno Cycli 60. & ultimo, imperantis verò *Cam hi* 22. (1683.) Imperator longè majori cum apparatu, & 70. millium equitum comitatu in Tartariam occidentalem inter instituit, tum ne otio & deliciis Sinicis diffluens valetudini minùs consuleret, tum ut se & militiam duris assuesceret, & ut doceret eâ normâ & ordine adversus hostes armatam procedere, quo ad tygrides inter venandum, & feras debellandas praeludi jubebat, tum denique ut magnificentiam suam & majestatem ostentans, sacrum quemdam terrorem barbarorum Dynastis incuteret, quos proinde benignitate regiâ & clementiâ, nec non muneribus & dignitatum titulis adeò sibi conciliavit, ut provincias omninò 40. clientelares & sibi ultrò tributarias suaviter fortiterque reddiderit.

*Consule de utroque itinere binas Epistolas Ferdinandi, qui secundi itineris comitem habuit Philippum Grimaldi.*

Hic finit Tabula nostra Chronologica Sinicae Monarchiae per 60. annorum periodos, seu Cyclos 73. continuatae, qui annos explent 4380. quibus si addideris annos 255. duorum gentis Sinicae conditorum *Fo hi* & *Xin num*, summatim existent anni 4635.

*Errata, quae hîc occurrent condonabit, uti spero, benevolus Lector. Emendabit ea constans & irrefragabilis ordo Cyclorum, ad quos calculi omnes, sicubi aberraverint, revocandi sunt, prout in Praefatione indicatum est.*

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

## Imperii Sinarum et Rerum In Eo Notabilium Synopsis

IMPERIUM SINARUM DIVIDITUR IN XV. amplissimas Provincias, quarum singulae ob magnitudinem, opulentiam, fertilitatem, magna regna verius appellari possunt, quam Pronvinciae: his addi debet *Leaotum* regio uni Provinciae non multò inferior. Haec regio cum aliis 6. Pronvinciis *Eoo*, & Australi Oceano adjacent; sex Mediterraneae sunt; reliquae tres ad Occidentem à reliqua Asia montium ferè jugis separantur.

Imperii amplitudinem, Urbiumque, & Populorum multitudinem, & rerum abundantiam, velut in nucleo iliadem, hic subjicio, prout in Atlante Sinico ex Sinensium libris exposuit P. Martinus Martinius, ac deinde P. Gabriel de Magalhanes, in descriptione Sinicae Monarchiae è manuscripto Lusitanico Gallicè traducta.

Urbes Metropolitanae (quas inter una est primaria) quae Imperatori cum Civitatibus & Oppidis sibi subjectis vectigal pendunt, numerantur CLV. quae rectius totidem Provinciae vocari possunt, quippe singulae sub se continent non paucas civitates, Oppida, Villas, Municipia, &c.

	<i>Provinciae</i>	<i>Metropoles</i>	<i>Civitates</i>	<i>Familiae</i>	<i>Viri</i>
I.	<i>Pekim.</i>	8	135	418989	3452254
II.	<i>Xansi.</i>	5	92	589659	5084015
III	<i>Xensi.</i>	8	107	831051	3934176
IV	<i>Xantum.</i>	6	92	770555	6759685
V	<i>Honan.</i>	8	100	589296	5106270
VI	<i>Suchuen.</i>	8	124	464129	2204570
VII	<i>Huquam.</i>	15	108	531686	4833590
VIII	<i>Kiamsi.</i>	13	67	1363629	6549800
IX	<i>Nankim. nunc Kiamnan.</i>	14	110	1969816	9967429
X	<i>Chekiam.</i>	11	63	1242135	4525470
XI	<i>Fokien.</i>	8	48	509200	1802677
XII	<i>Quantum</i>	10	73	483360	1978022
XIII	<i>Quamsi.</i>	11	99	186719	1054760
XIV	<i>Yunnan.</i>	22	84	132958	1433100
XV	<i>Queicheu.</i>	8	10	45305	231365
	Summ.	155	1312	10128789	58916783

P. de Magalhanes, qui 30. annis in aula moratus, ibidem obiit anno 1677. posthumo elogio ab Imperatore donatus, sic scribit:

In toto Imperio loca partim civica partim militaria muris cincta sunt 4402. loca civica recensentur 2045. nimirum Urbes Metropolitanae primi ordinis *Fu* dictae 175.

Civitates secundi ordinis *Cheu* dictae 274. Civitates tertii ordinis *Hien* dictae 1388. Hospitia Regia cum excubiis *Ye* dictae 205. & inferioris ordinis *Cham chin* dicta 103.

Ratio verò ob quam P. De Magalhanes majorem Urbium, ac Civitatum numerum ponit, quam P. Martinius, haec est; quod ille annumeret quasdam particularium Principum, qui Imperatori Sinarum non parent & à quo titulum dumtaxat accipiunt, sitas tamen inter montes, in quatuor ipsius Imperii Provinciis, *Suchuen*, *Queicheu*, *Yunnan*, *Quamsi*; annumeret etiam Urbes, & Oppida regionis *Leaotum*, quae Sinae in particularibus tantum Catalogis solent recensere: P. verò Martinius eas solum scripsit, ex quorum districtu Imperatori vectigal penditur.

Hospitia Regia absque muris pro Praefectis, Cursoribus, aliisque ex aulâ regio sumptu iter facientibus *Ye*, vel *Chin*, vel *Yechin* dicta, sunt, 1145.

Familiae in toto Imperio recensentur, 11502872.

Virorum numerus pertingit ad capita 59788364.

Non ingrediuntur hunc numerum, mulieres, parvuli ante annum aetatis 20. necnon è Regio nati sanguine, Ministri Regii, nec Praefecti & Expraefecti, neque milites, Baccalaurei, Licentiati, Doctores, Bonzii utriusque sectae, mendici, iique qui in navibus innumeris habitant.

Inter loca militaria Arces primi nominis, & ordinis, *Quan* dictae, sunt 627. Arces secundi ordinis, *Guei* dictae 567. Arces tertii ordinis, *So* dictae 311. Arces quarti ordinis, *Chin* dictae 300. Arces quinti ordinis, *Pao* dictae 150. Arces sexti ordinis, *Pu* dictae 100. Arces septimi ordinis, *Chai* dictae 300.

Numerantur itaque loca militaria 2357. praeter Turres, & Castella ter mille, *Tai* dicta, intra, & extra famosum illum murum sita (quorum nomina in mappis Sinensibus recensentur.)

Murus Sinarum Imperium ab utrâque Tartariâ separans, & complectens *Leaotum* cum tribus Provinciss *Pekim*, *Xansi*, *Xensi*, ab ortu in occasum ad 400. circiter leucas Lusitanas; juxta Martinium verò, ad trecenta milliaria Germanica (quorum 15. uni gradui respondent) rectâ protenditur. Si verò muri flexus, & montium circuitus considerentur, complectitur leucas ferè 500. hujus altitudo 30. latitudo 12. & alibi 15. cubitorum est.

In toto Sinarum Imperio Flumina navigabilia, & Lacus magis celebres, 1472.

Pontes celebriores, 331.

Montes prae aliis plurimis memorabiliores, 2099.

Turres, & Arcus triumphales, aliave id genus magnifica Aedificia, Regibus, virique illustribus erecta, 1159.

Bibliothecae celebres, & Libris instructissimae, 272.

Gymnasia Sapientiae, seu Academiae Magistro Imperii *Confucio* erectae totidem numerantur, quotquot Urbes sunt, & Civitates.

Baccalaureorum numerus (nam Studiosorum innumerabilis videtur) assurgit circiter ad capita 90000.

Avita Templa, seu potius illustres aulae majoribus suis aut bene. meritis erectae ad perpetuam Familiae memoriam, 709.

Mausolea architecturâ suâ apud posteros commendata, 688.

Virtute, & Factis Heroicis illustres viri, libris, & metris celebrati, 3636.

Illustriores virtutibus Foeminae, quaeque ob constantiam, in tuendâ virginitate, aut fide maritali passim depraedicantur, 208.

Praeter 32. Regulorum Palatia, sunt sua singulis ubique Praefectis assignata, pro cuiusque gradu, & dignitate Palatia. 32167.

Templa vero Deo dedicata, praeter Sacella, sunt circiter 240.

Christianorum numerus anno 1681. erat circiter 260000.

Idolorum Templa prae reliquis magis frequentata ob magnificentiam, aut conficta Idolorum miracula, 480.

In his aliisque Templis minoribus, & Deorum fanis, quorum numerus videtur incredibilis habitant Bonzii diplomate Regio donati 350000.

Multò plures recensentur absque diplomate, qui mendicatò vivunt.

In sola Regia Pekinensi sunt Bonzii Caelibes, 10668.

Bonzii uxorati, & diplomate Regio instructi, 5022.

Omnium utriusque sectae Bonziorum, seu Sacrificulorum numerus passim creditur propè accedere ad 1000000.

De numero Mahometanorum, qui 700. ab hinc annis Sinam ingressi, sunt qui credunt millionem excedere.

De numero Pauperum Senum, & invalidorum, quibus olim sua assignabantur domicilia, & quae ab omni aevo in singulis Urbibus, & Civitatibus, annonâ Regiâ aluntur, nildum licuit certi cognoscere.

Anni à *Fo hi* primo gentis Conditore usque ad annum hujus saeculi 1683. inclusivè, computantur 4635.

Anni computati per 73. cyclos, quorum singuli annis 60. constant, sunt 4380.

Familiae Imperiales longioris durationis decem brevioris duodecim.

Imperatores ab Hoamti usque ad modernum Camhi imperantis per Monarchiae Sinicae annos 4380. continuati, 235.

His si addas duos gentis conditores, Reginas duas contra leges Regni intrusas, & Imperatores 14. qui (vel quod intrusi, vel quod annum regiminis non habuerint) à

Scriptoribus excluduntur, erunt 253.

Praefecti Togati, seu qui Magistratu civili per triennium extra patriam Provinciam de more funguntur, & novem ordinibus suisque volucrum insignibus aliisque indiciis distinguuntur, conficiunt numerum, 13647.

Singulorum nomina, patria, gradus Litterarius, uti & Praefectorum militarium, singulari libro (qui ex mobilibus litteris more Europaeo componitur) singulis trimestribus ex aulâ per totum Imperium circumferuntur: similiter quotannis Kalendarium, nec non futurae eclipses Solis & Lunae, & quaecumque à sex supremis aliisque Conciliis proposita, ab Imperatore decernuntur, & si quae in Provinciis portenta & publicae calamitates contingant, authenticè comprobata, ex solâ aulâ, ad omnia Imperii loca per cursores determinatis temporibus disperguntur.

Praefecti militares, qui sex ordinibus suisque belluarum insignibus & vexillis discoloribus inter se distinguuntur, numero sunt 18520.

Liber Sinensis *Kieu Pien tu* dictus, id est, *Novem Confinium Mappa*, à Praeside supremi Tribunalis armorum, à 170. jam annis editus, & oblatus Imperatori cum 132. Mappis Cosmographicis majoribus, refert Sinensis Imperii intra & extra murum confinia contra Tartaros defendi, (excipiuntur thurmae auxiliares) à praesidiariis militibus 902054.

Equi praefatis militibus destinati, numerantur, 389167.

Stipendia Regia illorum militum praeter triticum, aut milium & pabulum equorum tantùm annuè, ascendunt ad aureos 2517357.

Non hîc agitur de numero Praesidiariorum militum, qui Provinciarum confinia, loca Maritima, Civitates; & Arces tuentur, quorum militum majora sunt stipendia, quàm eorum, qui ad murum vigilant: nam quotannis pro 50. militum millibus, aureorum millionem cum dimidio, hoc est sex milliones florenorum Belgicorum assignari vount.

Tempore pacis, qui Praefectis noctu diuque assistunt milites, recensentur 767920.

Equi eisdem militibus destinati affirmantur esse 564900.

P. Alvarus semedo ad muri custodiam assignat milites dumtaxat 682882.

Ad urbium verò & arcium praesidia (exceptis maritimis) milites 594000.

Ea, ex quibus Imperatori quotannis penditur vectigal (exceptis iis, quae ex teloniis proveniunt) sunt juxta P. Martinium.

Orizae, tritici, milii sacci, 120. librarum singuli, 40155490.

Serici laborati librae, 20. unciarum singulae, ex undecim Provinciis, 191530.

Serici non laborati librae 409896.

Gossypii, & cannabis laborati, & non laborati librae 295308.

Salis massae, 124. librarum singulae è septem Provinciis, 1994261.

Fasces straminis pro equis Regiis, è septem Provinciis, 34418625.

Magalhanes ex memorato libro *U pien tu*, sic scribit:

Quotannis in aerarium Imperatoris inferuntur è puro argento aurei 27900000.

Reditus item pro Imperatrice assignati sunt aurei, 2823962.

Non hoc loco recensentur reditus pecuniarii, & proventus ex teloniis, domibus, nemoribus, hortis Regiis, bonis Fisco addictis: &c. Martinius scribit reditus Regios universim esse aureorum 150000000.

Orizae pro tributo pendende sacci, qui ex austro per celebrem aquae ductum à 9. mille & amplius navigiis (quorum singula 500. saccis onusta) in solam aulam devehuntur, excedunt numerum 4500000.

Orizae tritici, milii, sacci 43328834	Salis panes 50. libr. sing. 1315937.
Minii purissimi librae 258.	Sandaracae librae 94737.
Serici densioris panni 1655432.	Serici rarioris panni 466270.
Serici crudi librae 272093.	Gossypini panni, 396480.
Gossypii infecti librae 464217.	E cannabe telae, 560280.
Fabarum sacci, 210470.	Straminis fasces, 22598583.

Hic numerus postremus sub belligero Tartaro duplo saepè major est, quam sub Sinarum pacificâ dominatione. Omitto hîc vix credibilem in aulâ copiam quadrupedum altilium, &c. dicere sufficiat singulis diebus aulae Praefectis singulis, tam civicis quam militaribus (qui ad 5. circiter millia numerantur) necnon Regii Sanguinis Principibus, pro cuiusque gradu, & dignitate praeter stipendium argenti, assignari ac distribui determinatam mensuram carni, piscium, leguminum, & coaguli è fabis confecti, & per singulos menses salis, orizae, ligni, carbonum & pabuli equini, idque adeò accuratè, ordinatèque, ut videatur Imperator Patris instar Familias distribuentis in dies portionem suam filios inter & Domesticos suos. Non referuntur hîc, quae domus ipsa Regia amplissima quotidie consumit. Eadem constanter servantur cum omnibus qui in aulam vocantur, & quotquot ex aulâ Magistratûs sui sigillo aut alio negotio instructi, Regiâ auctoritate proficiscuntur, quorum singulis & singulorum comitatu, de comitatu & victu, aut, si malint, de argento aequivalente, de Hospitiis, & equis, aut, si per flumina iter instituunt, de navigiis Regiis, & apparatu, quin & musicorum instrumentorum concentu ad oblectamentum, toto itinere (quod 5. & 6. mensium saepe est) providetur, donec ad locum officio suo destinatum pervenerint.

Hîc autem praeter Palatium & suppellectilem, praesto sunt ubique, qui stipendiis Regiis merent curiales, seu Officiales majores & minores, Milites, Excubitores, Tabelliones; caeterique ad pompam (quae in Regia urbe non est) & comitatûs splendorem, quoties prodit in publicum: cuiusmodi sunt praecones & tympanistae, & qui dignitatem Praefecti aureis trabalibus litteris exaratam, nec non titulos, aliaque insignia praeferunt: vexilli feri item, & Apparitores cum suppliciorum instrumentis, alii qui sericas umbellas majores hastis suffixas erigunt, qui Officii Sigillum Regium arcâ aureâ inclusum, velut rem sacram, humeris gestant, qui auratis flabellis majoribus solem aut imbres arceant; denique cum altero umbellifero, sellae auratae bajusi simili



pileo togâque, eâque rubeâ, induti 4, 6, aut 8. plureive, pro cuiusque ordine & dignitate, quaeque sellam & agmen claudit famulorum aut equitum turba: Eorum namque, qui Provinciarum sunt Praetores, Proreges, Quaestores, Iudices, Praesides, necnon urbium Praefecti Primarii, & armorum Duces, apparatus triplo major est, & splendor; & his insuper assignati sunt sui tubicines, ac tibicines, qui ante Palatii valvas in editiori utrimque aediculâ certis temporibus concentum musicum edant, quin etiam ante atrii sores tria tormenta bellica, aut falcunculi collocati, qui exonerantur, quoties Praefectus pro Tribunali sedens publicam dat, aut terminat audientiam, quoties Palatio egreditur, & ingreditur, quoties magnum excipit hospitem & abeuntem deducit, aut cursorem cum litteris ad aulam expedit, & Imperatorem: die item solenni natalis sui, & primis Kalendis cuiusque Lunae, quando Praefecti reliqui, necnon jam emeriti, & litterarii ordinis Doctores & Licentiati, ante Thronum & nomen Imperatoris aureis inscriptum litteris, praeunte magistro rituum, in genua provoluti & capite novies in terram inclinato venerabundi, tanquam praesenti Principi (ut in aulâ fit) apprecantur annorum myriades.

Quanta igitur per singulos dies toto Imperio vis pulveris nitrici absumatur, quanta item quotannis annona pro eâ curialium multitudine impendatur, ei judicandum relinquitur, qui consideraverit, in Sinâ numerari Urbes & Oppida, tam Civica, quam militaria 4402. Praefectos verò omnium ordinum 32167.

P. PHILIPPUS COUPLET Sôcietatis *JESU*. 1687

PARADIGMA XV PROVINCiarUM et CLV URBIUM CAPITALIUM SINENSIS  
IMPERII CUM TEMPLIS *quae Cruce † Signantur*

*Provincia PEKIM continet Urbes Metropolitanas 8. Civitates 135. familias 418989. collegium et 2 Templata Regio favore erecta. extra aulam templa 4. et missiones.*

*Prov. XANSI continet Urbes 5. Civit 92. famil 689659. Templata 5. Residentias 3. oratoria et missiones 29.*

*Prov. XENSI continet Urbes 8. Civit 107. famil 831051. Templata 6. Residentias 2. Oratoria et missiones 27.*

*Prov. XANTUM continet Urbes 6. Civit 92. famil 770555. Templata 2. Residentiam 1. Oratoria et missiones 11.*

*Prov. HONAN continet Urbes 8. Civit 100. famil 589296. Templum et Residentiam.*

*Prov. SUCHUEN continet Urbes 8. Civit 124. familias 464129. Templata 3. Residentias olim 2.*

*Prov. HUQUAM continet Urbes 15. Civit 108. familias 531686. Templata 4. Resid 1. missiones 8.*

*Prov. NANKIM continet Urbes 14. Civit 110. familias 1959816. collegium, Resid 5. intra Urbes et civit. Templata 18 in pagis Templata 103. Miss 65.*

*Prov. CHEKIAM continet Urbes 11. Civitates 63 familias 1242135. collegium, tyrocinium Templata 5. olim item alia Templata 2. et Resid.*

*Prov. KIAMSI continet Urb. 13. civit 67 famil 1363629. Templata 7. Residentias 3. missiones 15.*

*Prov. FOKIEN continet Urbes 8. Civitates 48. familias 509200. Templata 24. Resid 5. et Missiones.*

*Prov. QUAMTUM continet Urbes 10. Civitates 73. familias 483360. Templata 7. Residentias olim 3. et Missiones.*

*Prov. QUAMSI continet Urb. 11. civit 99. familias 186719. Templum olim et Residentia.*

*Prov. YUNNAN continet Urbes 22. civitates 84. familias 132958.*

*Prov. QUEYCHEU continet Urbes 8. civit 10. famil 45305.*

*XV Provinciae Summatim continent Urbes Metropolitanas 155. Civitates 1312. Praeter oppida militaria 2357. Familias 10128789. Virorum capita 58916783. Templata a Societate Jesu primo saeculo erecta circiter 200. Residentias publico sigillo munitas 24. praeter tria inchoata Collegia, oratoria, Missiones.*

**AD MAIOREM DEI GLORIAM.**

*P. Philippus Couplet S.J. Sinensis Missionis Procurator.*

*Parisiis apud Joannem Nolin viâ Jacobeâ sub Signo Platea Victoriarium. Cum Privilegio Regis.*